DE CRIPPSIANO ET OXONIENSI ANTIPHONTIS DINARCHI LYCURGI CODICIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XX. M. DEC. A. MDCCCXXXII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

PAULUS GRAFFUNDER

POMERANUS.

ADVERSARII ERUNT:

H. HERSEL } SEM. REG. PHIL. SODD. ORDD.
H. TSCHIERSKY }
H. ZELLE, CAND. PHIL.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSERUNT FRATRES UNGER (TH. GRIMM).

Jam diu viri docti fluctuaverunt incerti, ex quibus codicibus et qua ratione Antipho et Dinarchus Lycurgusque edendi essent. Post Bekkerum enim, qui codicis Crippsiani (A) potissimum auctoritati se addixit, cum Maetznerus Oxoniensem (N) editione Antiphontea (Berol. 1838) communi usui tradidisset, quamquam brevi omnes in hac re consenserunt, utrumque ejusdem fontis quasi rivulos esse, tamen alteri, quorum princeps ipse Sauppius erat (Quaest. Antiphont. 1861), codicem Crippsianum fundamentum artis criticae in illis oratoribus tractandae esse censuerunt, quamvis comprobassent nonnullas aemuli lectiones, alteri omnes honores detulerunt codici Oxoniensi, cujus opinionis acerrimus propagator Fr. Frankius exstitit (act. diurn. antiq. scient. 1843 pg. 259 seqq. et alibi). Nec minus quam quadraginta annis ante nunc quoque viri docti in diversas partes discedunt. Nam in Lycurgo edendo Thalheimius lectionibus codicis Oxoniensis, postquam Blassium in hunc quoque oratorem nimiam istius codicis aestimationem inferre conantem (Annal. phil. 1875 (111) pg. 597 seqq.) egregia disputatione rejecit (ibid. 1877 (115)

pg. 673 seqq.), non nisi maxima cautione usus est. In editione vero et Dinarchi (Lips. 1871) et Antiphontis utraque (Lips. 1871 et 1881) Blassius et in Antiphontis Petropolitana (1880) V. Jernstedtius adeo obtemperavere cohortationibus Frankii, ut etiam in minutissimis rebus vestigia codicis Oxoniensis sequerentur. Quam obrem cum in legendis illis oratoribus mihi persuasio subrepserit, Sauppianam rationem veritati propiorem esse, quamvis periculosum sit novicio in tam lubrico campo cursare, tamen pro viribus conabor demonstrare, longe firmiorem testem esse nobis Crippsianum quam Oxoniensem, quamvis magnopere ut incertitudinis plenum ita necessarium sit utriusque testimonium et audire et juste perpendere. Quicunque autem hanc difficillimam quaestionem tractaverunt, ex solo Antiphonte argumenta hauserunt omnino fere spretis Dinarcho Lycurgoque. Quod cur orationi Leocrateae acciderit, in occulto non est. Nam et magnam partem hujus orationis in codice Oxoniensi annorum series devoravit, et codices ubi possunt comparari, non nisi leviusculis rebus dissentiunt, iisque ita vincit alter alterum bonitate, ut adhuc nemo editor exstiterit, qui non palmam tribueret codici Crippsiano. Dinarchum vero nondum ad calculos citatum esse, eo magis mirum est, quod quae sit codicum ratio, multo planius apparet ex hoc oratore quam ex ceteris duobus. Neque etiam dubito, quin si Maetznerus prius editionem Dinarchi emisisset, nunquam futurum fuerit, ut maxima illa dissensio inter viros doctos exsisteret. Quare mihi jure videor rem ita instituere, ut Lycurgo non accito nisi ubi admodum op-

portunum videbatur, argumenta promam ex Antiphonte et Dinarcho maxime vero incumbam in Dinarchum, qui adhuc neglectus jacebat.

Priusquam autem ad ipsam difficillimam quaestionem accedamus, illud praemonendum est, omnes ceteros codices, quorum lectiones Bekkerus adnotavit Laurentianum B, Marcianum L, Vratislaviensem Z, nec aliter Burnejanum M, quem Dobsonus publici juris fecit, in rationem non venire. Quorum lectiones si ejusdem auctoritatis essent, quam Oxoniensis aut Crippsiani, huic aliquantum commendationis afferrent consensu perpetuo. Nec vero quisquam nunc dubitat, quin LMZ ex Laurentiano nati sint. Ipsius autem Laurentiani fontem aut Crippsianum esse aut intermedium aliquem codicem, tam firmis argumentis mihi Jernstedtius (praef. pg. XIX—XXII) videtur ostendisse, ut haec sententia extra omnes incertitudinis terminos posita sit. Quare omnes isti codices a cancellis prohibendi sunt, nisi quod nonnunquam ut testentur quid trecentis annis ante in A lectum sit acciri possunt.

Praeterea nonnulla videntur praefanda esse de origine ejus partis libri Oxoniensis, quae Dinarchum continet. Nam cum notum sit, ejusdem codicis alias partes saepe alius pretii esse, fortasse cui necessarium videbitur perquiri, num eadem ratio intercedat Crippsiano et Oxoniensi codicibus in Dinarcho, quam iis intercedere in Antiphonte Sauppius (l. l.), in Lycurgo nuper Blassius (ann. phil. l. l.) et Thalheimius (ibid. l. l.) probaverunt. Cum autem constet, codicem Oxoniensem totum ab eadem manu exaratum esse singulosque ora-

tores eodem ordine sequi in eo quam in A (Jernst. pg. XXIV et XI), verendum est, ne frustra operam contereret, siquis quam in hac re ponere vellet. Accedit, quod quivis, etiamsi obiter inspexerit Dinarchum, facili negotio cognoscet, in hoc oratore non minus quam in Antiphonte Lycurgoque codices lacunis interpretamentis singulorum verborum depravationibus adeo consentire, ut statuendum sit, aut alterum ex altero derivatum esse aut utrumque ex eodem fonte. Quare cum nihil aliud possit in controversiam adduci nisi hoc, num codex N quasi filius sit Crippsiani, quandoquidem Jernstedtius illum „saeculi (in oratoribus) XIV potius quam XIII" (praef. pg. XXXIII), hunc „saeculi ut videtur XIII" (pg. XXVII) testatur esse, sufficere videtur enumerare duos Dinarchi locos, qui nullo modo explicari possent, si Oxoniensis ex Crippsiano ortus esset, quippe ubi Oxoniensis deficiente A quae plane necessaria sunt nobis servaverit.

Din. III, 7: *εἰς τοσαύτην αἰσχύνην . . . πολλοὺς τῶν πολιτῶν ἐμβεβληκότα* N, *τῶν πολιτῶν* om. A. Quis non persentiscit, quam apte gravetur accusatio eo quod objicitur reo multos suorum ipsius civium pessumdedisse? Nam alios perdidisse, tam gravi crimini haberi non potuit. Praeterea constat, nec quemquam verba *τῶν πολιτῶν* conjectura assequi potuisse et facillime hauriri potuisse propter similes verborum *πολλούς* et *πολιτῶν* primas litteras. Non minus nos adjuvant quae leguntur I, 70. Ubi postquam librarius A scripsit *σὲ δὲ ἁρπάζειν,* statim oculi transsiluere ad *σὲ δὲ πλείω.* Codice vero iterum ad archetypum collato, cum lacu-

nam animadvertisset, casu non omnia restituit sed haec tantum *καὶ τοὺς-εἰςφέρειν.* Ita factum est, ut facili errore in A post *ἁρπάζειν* intercideren *καὶ κλέπτειν,* quae optime retinuit N. Cum autem ne hanc quidem lectionem conjectura quemquam explevisse credi possit, hic solus locus evincit, codicem Oxoniensem non manasse ex Crippsiano.

Possumus igitur nunc pro certo statuere, codices nostros eodem confinitatis gradu colligari in Dinarcho quam in Antiphonte et Lycurgo, neutrum ex altero fluxisse, utrumque ex eodem archetypo descriptum esse.

Denique paucis verbis necesse est attingere eam quaestionem, quam primus movit Brieglebius (Ind. schol. Anclam. 1861 pg. 4), utrum codici N archetypoque interponendus sit intermedius codex necne. Quamquam autem ipse quoque adsentiendum esse Brieglebio ob eam rem censeo, quod viro docto grammaticoque, cujus vestigia codici N impressa non pauca relicta esse postea apparebit, vix tam multi errores neglegentia admissi, quibus idem codex turpatus est, possunt inrogari, tamen mihi illam quaestionem jure neglegere posse videor. Lectiones enim falsae, ortaene sint in ipso Oxoniensi an in intermedio codice, nihil refert, si sunt in eo qui aetatem tulit.

Hoc totius disputationis quasi fundamentum praestruendum erat, ut esset unde certo gradu progredi liceret.

Jam nobis licet transire ad gravissimam illam quaestionem, uter nostrorum codicum fidelior testis sit. Atque primum quidem nonnulla disserenda sunt de cor-

recturis codicis Crippsiani. Neque enim ex ulla re certius et planius disci potest, qualis fuerit, qui eum scripsit, quam ex illis. Atque etiam omnino de codice A recte judicari non potest, nisi juste aestimatis correcturis, quippe in quibus praestantia ejus ex magna parte sita sit. Ut autem supra licebat omnes ceteros codices, quorum praeter nostros lectionibus editiones usque ad Jernstedtium onerabantur potius quam ornabantur, censu prohibere, ita nunc, quaecunque in codicem A postea ab altera manu illata sunt, sine damno silentio praeterire possumus. Facere enim non possum quin cum Jernstedtio (pg. XXII), cui nunc optimo jure assensus est Blassius (praef. Antiph. 1881 pg. VII) censeam omnia illa conjecturis deberi. Quam sententiam eo propensiore animo amplectemur, quod persaepe secunda manus correxit, quae adversantur codici N. Quaecunque vero ab eadem manu in A emendata sunt, cum nusquam fere careant consensu codicis N, aperte docent, codicem A accuratissime ad archetypum collatum esse. Quod cum maximi momenti sit ad nostram quaestionem dirimendam, necessarium videtur esse, ipsis exemplis confirmare. Atque ex Dinarcho quidem omnia congeram, ex Antiphonte vero, qui nimis largam copiam praebet, ne longus essem, praehabui alius generis exempla ex aliis orationibus repetere.

Primo loco enumerabo illos locos, ubi ab eodem librario, qui scripsit codicem A, siqua antea oculis casu elapsa erant, restituta sunt, sive rasura sive in margine sive supra versum. Din. I, 39: *τῶν* ante *φυγάδων*. — 40: *τὰ* ante *τοιαῦτα*. — 47: *καὶ* ante *τὸν δῆμον*. —

64: *παραδεδωκότα* in marg. — 82: *κατάγειν.* — 86: *τῇ πόλει.* — 89: *γὰρ.* — 99: *καὶ* ante *δῆμος.* — 100: lacuna quattuor versuum expleta. — 101: *εἰςήγγελκας* in marg. — 106: *οἱ* post *ὑμεῖς.* — II, 19: *οἱ* ante *ἄλλοι.* — II, 21: *νῦν.* — II, 24: *ταῦθ'* ante *ὥσπερ.* — III, 1: *ἐναντίον.* — III, 5: *τὴν πόλιν.* — III, 18: *οἷς* ante *πρότερον.* — Antiph. vita in.: *μὲν ἦν* ex *μέν.* — ibid. *καὶ* supra vers. post *ἀποστὰς δέ* (Jernst. pg. 1, 14). — I, 1: *μὲν.* — 6: *σαφῶς.* — 11: *ἐνταῦθ'ἄν.* — II, α, 5: *προπεπονθότα* ex *πεπονθ.* — 9: *παραγενομένων* ex *γεν.* — II, β, hyp.: *ἀποδῦσαι ἱμάτια* in ras. breviore. — 1: *εἶναι τῶν* ex *εἶναι.* — 9: *γάρ* supra vers. — II, γ, 5: *μὲν* supra vers. ante *κίνδυνον.* — 10: *μὲν* ante *προςτρόπαιος.* — II, δ, 4: *παιομένοις* in marg. — III, β, 1: *τῆς* ante *συμφορᾶς.* — 2: *ὑμῖν* ante *δόξω.* — 3: *μὲν οὖν* ex *μέν.* — ibid: *οὐδένα* ras. restit. — γ, 9: *οὐ.* — 9: *μοι* ante *μὴ τυχών.* — IV, α, 5: *πάθους τοῦ εἰργασμένου* in ras. breviore. — β, 7: *μου* ante *πᾶσιν.* — γ, hyp.: *ὅτι.* — γ, 2: lacuna duorum versuum expleta. — γ, 5: *οὐχ.* — Nec aliter idem librarius in codice A non raro recte loco movit, quae injuste se insinuavisse codex N evincit. Din. I, 75: *τὴν . . Λακεδαιμονίων*, fuerat haud dubie *τὴν τῶν Λ.* — II, 12: *τίμημα* ante *τιμῆσαι* expunctum. — II, 17: *εἰ ἱερὰ* ex *εἰς τὰ ἱερά.* — 23: *οὐ . . . ἴσθ'ὅτι*, fuerat *οὐ γὰρ ἴσθ'ὅτι.* — Antiph. V, 10: *ἂν* ante *ἔνειμαν* deletum. — 52: *ἅμα ἐμοί* ex *ἐμοί.* — 78: *ἑαυτὸν*, quod bis exaraverat, punctis notatum. — VI, 11: *πρὸς τῆς ἐμαυτοῦ* erasum. — 35: *αὐτοῖς* ante *ἐλπίς* expunctum. — VI, 26: *ἀποφῆναι* ex *ἀπο-*

φήνασθαι. — V, 80: τοῖς τῶν ἀπὸ τῶν, prius τῶν punctis septum. — Praeterea permulta emendata sunt, quae non nisi ad codicem potuerunt mutari. Quae omnia accumulanda non videntur esse. Nam ea tantum congerere meae provinciae finibus cogor, quae quam maxime illustrant diligentiam ejus, qui correxit codicem A. Neque enim vereor, ne quis neget accuratissimum esse eum, qui etiam ordinem verborum antea casu infractum archetypi auxilio sive numeris appositis (Antiph. III, β, 10 et V, 2) sive rasuris redintegravit (Antiph. II, γ, 7: μή. — II, β, hyp. τοῦ οἰκέτου. — VI, 40: μοι.). Quod si Din. I, 24 non plane perfecit, quamquam sibi proposuerat, crimini illi dari non potest.

Atque etiam attentum hujus correctoris animum ne aspirationis quidem notae ceteraque pronuntiationis sigla effugerunt, si forte in illis antea peccatum erat. Din. I, 87: αὐταὶ ex αἷται. — Antiph. I, 26: αὑτῇ ex αὔτη. — II, α, 2: ὁτιοῦν ex ὅτιοῦν. — β, 12: καταγνῶτε ex κατάγνωτε. — III, α, 1: πολῖται ex πολίται. — γ, 6: ἁμαρτὼν ex ἁμαρτῶν. — V, 6: αὑτῷ ex αὐτῶ. — 60: ὑπὲρ αὑτοῦ ex ὑπὲρ αὐτοῦ. — 69: ἅπαντες ex ἄπαντες. — 73: ἐν δὲ ex ἐνδέ. — 87: αὑτῷ post ξυνειδὼς ex αὐτῷ. — 94: οὔ τοι ex οὔτοι. — VI, 5: αὐτὸς αὑτῷ ex αὐτὸς αὐτῷ. — 35: τοιαῦτα ex τοῖαυτα. — Nec possum praetermittere eundem diligentissimum librarium etiam crasin, quae vocatur, reduxisse (Antiph. I, 30: κἀκεῖνος ex καὶ ἐκεῖνος) et ν adscriptivum correxisse, ubi forte falso irrepsit aut intercidit (Antiph. III, δ, 2: ἐστι ex ἐστιν. — VI, 41: φασιν ex φάσι). Denique idem corrector persaepe

itazismi errores similesque levissimas res sustulit. Unde quamvis firmum ipsius diligentiae documentum nascatur, tamen praetereo ne longus sim.

Horum exemplorum acervus quamquam facile permultis posset ditari, tamen ne ligna in silvam ferre videar, subsistere satius erit. Nam etiam quae adhuc converri, cum testimonio codicis N constet, fuisse in communi archetypo, quae corrigendo ab eadem manu in A invecta sunt, satis manifesto probant, librarium codicis A scrupulose quasi effigiem archetypi exprimere studuisse.

At restat nobis, unde majoris virtutis laudem illi comparare possumus. Neque enim pauci sunt loci, ubi cum casu librarius A verissimas lectiones proposuisset, postea mutavit falsissime, ita tamen ut conspiraret cum codice N, cumque archetypo. Apud quem autem major fides describendi inventa est, quam apud eum, qui sententiae veritatem postposuit ductibus in archetypo exaratis. Quare nunc locos illos promamus. Din. I, 60: Quod librarius A scripserat λυσιτελὲς ᾖ, quamquam praegresso subjecto τὸ τίμημα bene se habebat, tamen correxit λυσιτελὴς ᾖ (= N) legibus grammaticis neglectis. Verum autem est λυσιτελήσῃ. I, 93: Pro ἰδία (i. e. ἰδίᾳ) obloquente verborum sententia ἴδια (= N) reduxit. I, 108: Verissimae lectioni ἀπολογεῖσθαι, in quam felici casu inciderat, substituit ἀπολεῖσθαι (= N), quod futile est. Antiph. II, δ, 7: Inepte ὑπὸ τῶν κυρίων corrupit rescribens ὑπὸ τῶν κυρίως (= N). IV, δ, 10: Radendo inseruit ζητεῖν ante ἀποκτείνειν (= N), quod cursum sententiae in-

terrumpit. V, 13: Ex ὤφλειν effinxit ὄφλειν (=N). Verum autem est ὀφλεῖν. V, 94: πράξεϑ' mire depravavit reponens πράξεσϑ' (= N). VI, 9: Huic lectioni τούτου εἰδεῖ, in qua sine dubio ἰδίᾳ delitescit, supposuit τουτονὶ δή (=N). 21: Supra versum depinxit postea οὐ (=N), quod in loco illo plane desperato nullo modo explicari potest. 28: μαρτυρούντων sensu vetante auxit praepositione κατα (= N). 42: verbum omnino non graecum προδιαδικασίας (= N) effecit ex vero προδικασίας. 44: Non veritus est artis grammaticae leges violare corrigendo (παρῆσαν)... ἡμέραις (= N), cum antea scripsisset ἡμέραι, dummodo obsequeretur archetypo. Nam verum est παρεῖσαν .. ἡμέρας. 47: Hanc optimam lectionem κελεύουσι καταδικάσαι commutavit hac κ. καταδικάσειν, quae quamvis mira sit, tamen legitur etiam in N.

Siquis haec exempla perlustraverit, eum, quamvis malevolo animo fuerit, tamen concessurum esse puto, codicem Crippsianum diligentissime et maxima fide collatum esse ad archetypi formam. Cui enim diligentia et fides adjudicanda erit, nisi illi, qui verborum sensu non respecto ratione grammatica posthabita exemplar propositum imitando potius iterare quam describere studuit. Quae res multo majoris momenti est, quam cujus visum est eis, qui adhuc ad hanc quaestionem dijudicandam operam contulerunt; qui ex hac re argumenta repetere omnino neglexerunt.

At reperiuntur loci ubi A correctus a prima manu contra Oxoniensem stat, nec intermittent hujus propugnatores, quin clament: haec omnia interpolandi libidini

ejus adscribenda esse, qui codicis A conferendi ad archetypum munere functus sit; nam quae fuerint in communi archetypo, consentientibus N et Apr. constare. Quae tela ut defendamus, fieri non potest, quin locos illos in judicium vocemus. Quorum longe in plurimis dissensus codicum ortus est levissimis et vulgarissimis erroribus, quales in omnibus codicibus sexcenti obvii sunt. Din. I, 9 restituit corrector[1] in A ἐγκεχείρικεν pro ἐγκεχείρηκεν (N A pr.) — III, 14 προχειρικότα pro προχειρηκότα (N) — I, 81 ἐπεὶ pro ἐπὶ (N) — II, 13 προεδρίαν pro προεδρείαν (N) — I, 46 ὃν pro ὢν (N) — I, 47 γινόμενος pro γενόμενος (N) — I, 77 μεταβαλέσθαι pro μεταβάλλεσθαι, μεταβαλλέσθαι N, cujus verbi accentus lectionem codicis A in archetypo fuisse docet — I, 78 ὅ τεταραγμένον pro ὅτε ταραγ. (N) — I, 31 Pro κινδύνοις δὲ κακοῖς (N A pr.) recte revocatum est in A ἐν κινδύνοις δὲ καὶ κακοῖς. Cum autem Blassius illud καὶ ab altera manu profectum esse testetur, nemo non proclivis erit ad suspicionem praepositionem ἐν quoque illi debendam esse. — I, 66 τὸν πρῶτον τόν N A pr., posterius τόν deletum in A. Quis non videt τὸν πρῶτον dittographiam quae vocatur esse antecedentis τὸν προδότην. Quare certum est, librarium A ex fonte revocasse, unde, quid verum, sit licet perspicere. Tantum igitur abest, ut his Dinarchi locis demonstrari possit librarium A ex suo conjecturas inculcasse emendando, ut nonnunquam quamvis adversante N tamen constet correcturas haustas esse ex archetypo.

Nec multo aliter se habent, quos hujus generis

locos nunc Blassius ex Antiphonte (pg. XV sqq.) contulit*).

Nam neglectis illis locis, ubi qui codices inspexerunt aut ipsi inter se repugnant aut dubii sunt (I, 3 *ἀπειλειμένῳ* A pr. cf. Blassium pg. XV — I, 30 *ἀπολοῦνται* A pr. „ni fallor“ Jernst. — III, *β*, 3 *ἄλλου δ'εἰς αὐτόν* N et ft. A pr. Jernst. — V, 32 *μέν* deletum — V, 59 *σὺν ἐμοὶ* N A pr. pro *σὶ ἐμοί* — V, 76 *εὐρόπως* „A corr² ni fallor“ Jernst.) nihil fere relinquitur nisi quod natum est aut confusis litteris *ο* cum *ω* aut *ο* cum *ου* aut *ε* cum *η* aut *η* cum *ι* similibusve aut ex aliis facillimis erroribus. Quae omnia si nunc Blassius (pg. XV et XVIII) monet dupplicibus lectionibus archetypi explicanda esse, nemo certe illi obsequetur. Immo cum longe plurima ex his et in Dinarcho et in Antiphonte jure emendata esse videamus, dubitare non possumus, quin verae lectiones fuerint in archetypo, errores autem casu invaserint in utrumque nostrorum codicum. Postea igitur codice A ad fontem collato factum est, ut ex illo maculae auferrentur, ut vero remanerent in N, cujus librarius laboriosissimo opere collationis plane abstinuit. Quare adeo non ex his culpa conflari potest librario A, ut contra,

---

*) Cujus exemplorum penus ut plenus sit, haec addenda sunt: Antiph. I. 31 revocavit eadem manus in A *μέλειν* pro *μέλλειν* (N pr. A pr.) — II, *α*, 10 *αἴτε* pro *αἴτ'* (N) — II, *β*, 12, *καταγνῶτε* pro *κατάγνωτε* (N) — III, *β*, 5 *φανερὸς* pro *φανερῶς* (N) — III, *β*, 11 *δύω* „A corr. ut vid.“ Jernst. pro *δύο* (N) — V, 66 *εὐποροῖτε* pro *εὐπορεῖτε*, *εὐπορῆτε* N — VI, 38 *ἀπέδειξε* „A corr. ut vid.“ Jernst, *ἐπέδειξε* N — VI, 45 *ὅσοις* „ultima littera in rasura“ A, *ὅσοι* N.

quanta sit praestantia, eo magis eluceat. — Sed non minus interpolationis crimine, quod ei ingessit Jernstedtius (pg. XXXII), mihi Antiph. III, β, 7 videtur liberandus esse, in quem locum pro ἁμαρτών corrigendo intulit ἁμαρτόν. Quod si ad μειράκιον voluisset aptare, cur intactum reliquit ἀκοντίσας? Porro quis potest credere III, γ, 3 correxisse eum ἡγήσθε pro ἡγήσασθε non tentato πεισθέντας, cum verum sit δέομαι . . μὴ πεισθέντας . . ἡγήσασθαι. Immo si posteriori correctori πεισθέντες debetur, non sine verisimilitudine altera quoque mutatio eidem addicetur. Deinde V, 42 ex ipsa scriptura prioris A hac ὡς ἀληθέσιν . . σι luculenter apparet librarium A rasura quod irrepserat οὖσι emendare ingressum non perfecisse quod corrigere sibi proposuerat (εἰρημένοις). Tum III, γ, 9 οὐ, quod rectissime supra versum ante πρέπει depictum est in solo A, opinor in margine archetypi fuisse, ita ut correctorem Crippsiani, cum librum iterum perlustraret, non effugeret, effugeret autem neglegentem Oxoniensis librarium. Denique qui V, 19 ἐλασσωθείς expulit, ut rescriberet ἕλος σωθείς, is non interpolandi studio impulsus est, sed fucum ei fecerunt haec summarii orationis verba Ἕλος τις etc.

Adhuc igitur nihil inventum est, unde jure aliquo librario A incusatio existeret, eum scientem mutasse, quae in archetypo repperisset. At restant nobis quattuor loci, quos scrupulum injicere posse non nego. Neque enim dubito, quin IV, α, 2 haec lectio τούτων ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἀξιωθέντος τοῦ βίου ἡμῶν (N Apr.) verior sit, quam quae nunc circumferri solet. Nec omnino

intellegi potest, cur hoc loco tantum editores moliti sint, cum nihil aliud lateat sub illis verbis nisi hoc fere: „Si quis quem occidit, quamquam his bonis quae fruatur vita nostra (scil. hominum) digna ab ipso deo habetur, divina et humana jura conscindit". Apparet igitur *τούτων* referendum esse ad *τήν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν* et significare bona quorum fructum deus hominibus commisit. Quare qui *ἀξιωθέντος* commutavit scriptura *ἀξιωθείς*, infelicem conjecturam prompsit sententia non perspecta.

Eodem jure illi, qui I, 1 pro *ἔχει μοι* rescripsit *ἔχοιμι*, qui VI, 10 veriore scriptura *καταψηφίσεσθε* sede mota reposuit *καταψηφίσησθε* deceptus forma sequentis *ἀποψηφίσησθε*, denique qui VI, 22 verissimo *εἶεν* substituit *εἰσί*, illi, inquam, jure Jernstedtius (pg. XXXII) objicere videtur, ex composito eum tentasse tradita. At ne obliviscamur, quam lubricam materiem tractemus. Quis enim in codice quingentorum annorum, quem alteram manum saepissime expertum esse constat, quis utri quaeque correctura debeatur statuere potest ita ut dubitationi nullus locus relinquatur? Immo ubique cavendum est, ne quod hujus est, illi injuste inrogemus. Quare quattuor ista exempla nimis lubrica et dubia videntur esse, quam ut multum moremur.

Hoc loco occasionem arripiam etiam ceteras lectiones codicis A, quae interpolationis suspicioni obnoxiae possunt videri, paucis absolvendi. In quare Jernstedtius (pg. XXXVII seqq.) longe ultra veritatis terminos processit falso studio codici N patrocinandi abreptus. Quis enim justus judex non decernet, scripturam codicis A

I, 21 μέντοι invito librario sedem verborum μέν γε τῷ occupasse, ita ut τοι iteratum ex sequente τῷ absorberet interpositam voculam? Quis ifitiabitur, ubicunque synonymis verae lectiones expelluntur, nusquam fere consilium, quo quis ductus sit, comparere sed merum casum in illis dominari? Quare a librario A IV, α, 2 γένος pro φῦλον, IV, β, 4 πονηρῷ pro μοχθηρῷ recepta esse dedita opera, hoc nemo unquam ostendet. Quo loco autem maxime se jactat Jernstedtius II, β, 2, ubi A exhibet ἐμοὶ ἱκανὰς λύπας καὶ φροντίδας ἐμβέβληκεν, N προβέβληκεν, mirum est, omnes editores frustratos esse Sauppii conjectura προςβέβληκεν ejusque exemplis in hunc locum omnino non quadrantibus. Nam externae res III, β, 4 αἰτία IV, β, 4 ἔγκλημα ibid. 8 τὸ μήνιμα τῶι ἀλιτηρίων hominibus extrinsecus objiciuntur et quasi affricantur. Animi vero affectus (λῦπαι καὶ φροντίδες) injiciuntur hominibus et in ipsum animum penetrant. Nec aliter indo ab Homero aut Graeci locuti sunt (Il. K, 366 μένος ἔμβαλ' Ἀθήνη Τυδείδῃ. — Dem. Philipp I, 42 τὴν φιλοπραγμοσύνην ταύτην ἐμβαλεῖν Φιλίππῳ. — Plut. Pyrrh. 13 τοῖς Ἠπειρώταις προθυμίαν ἐνέβαλε) aut siquis unquam proprie et apte loqui voluit. Quare quamquam, quod in N est, explicare non possum, tamen hoc certum est, nullam nisi codicis A lectionem Antiphonhis esse. Nec magis nos possunt movere, quae praeterea Jernstedtius investigavit, γε VI, 6, quod lacunae indicium est, commutatum particula τε, τι II, δ, 7 omissum, in quo verae lectionis ποῦ latet vestigium, singularis numerus ἑώρα VI, 40 substitutus in locum pluralis, cum antecederet

ἡ βουλή et ἐπύθετο. Quibus exemplis fortasse addi potest προκαθῆθαι, εἰ repositum VI, 21 pro προκάθισται η (N). Quamquam enim huic truncato loco intellegendo paene Oedipo conjectore opus est, tamen hoc pro certo statui potest, verbum προκαθιστάναι (scil. τὴν δίκην εἰς τὸ δικαστήριον) genuinum esse, quoniam reus queritur, sibi actionem praereptam esse. Haec omnia plane extra noxiam posita esse, quamquam nemo contendet, nisi qui praeoccupata opinione ad rem accesserit, tamen ne illud quidem negari potest, tam leviuscula potuisse casu obrepere ei qui scripsit codicem A utpote homini graeco. Atque etiam si quam maxime is consulto haec attigit, tamen quattuor exempla non valent infringere, quae ex permultis collegimus, librarium illum et diligentem et fidelem fuisse.

Postquam codici Crippsiano ex ipsius correcturis aliquantum commendationis comparavimus, illi loci videntur perpendendi esse, ubi alter altero plenior est. Quamquam ex his haud ita multum lucri nobis redundabit, cum ubi ab alteroutro solo quaedam servata sunt, saepe sententia non minus sine illis quam cum illis integra sit. Quare nihil restat, nisi ut illi majorem fidem addicamus, qui pluribus locis altero deficiente nobis suggerit, sine quibus oratio manca et mutila sit.

Atque in Dinarcho quidem jam supra, ubi de origine codicum disputavi, exposui codicem N duobus locis integriorem esse quam A (I, 70; III, 7). Quibus defensores Oxoniensis inclinabunt hunc addere I, 16, ubi nunc adnotatur ψήφισμα om. A. Cum vero titulus legatur in B, nonne paene necessarium est, eum etiam

esse in ejus fonte? Ad quam sententiam eo magis proni erimus, quod adhuc codex A in Dinarcho minime cum pulvisculo exhaustus est. Quam facile autem titulus qui compendio solet exarari, inspicientis oculis elabatur, testis est Schoellius (Hermae vol. IX pg. 213), qui primus illud *ψη´* in Palatino Lysiae XIII, 22 eruit neglectum a ceteris.

Quae vero hujus generis restant in Dinareho, longe aliter se habent. Facile enim omnes concessuros esse puto, nos salva oratione II, 6 *διά*, ibid. *ἐστιν*, II, 15 *ἐν ὑμῖν*, III, 3 *ὦ Ἀθηναῖοι*, III, 19 *πάντας* post *ὑμᾶς* carere posse. Multo gravius autem est, quod librarius *N* I, 31 post *φιλόπολις καὶ κηδεμών* inseruit *τῆς πόλεως*, cum satis perspiceret, *κηδεμών* per se stare non posse. At quae ad notionem complendam opus sunt, facili negotio subnascuntur ex praegresso adjectivo *φιλόπολις*. Quare cum molestissimam repetitionem obtrusam esse videamus Dinareho, hoc loco codicis *N* fides admodum suspecta est.

Contra ex iis quae nobis in Dinareho *A* subministrat deficiente *N*, nulla non plane necessaria sunt ad sententiae incolumitatem. Ut taceam ex solo *A* nobis suppetere I, 6 *ψυχῆς*, I, 22 *καὶ ὑπὲρ τῶν νῦν*, I, 39 *οὖ* post *ὅς*, de quibus ambigi non potest, nonne etiam I, 31 *πᾶσα ἡ Ἑλλάς* multo aptius est quam *ἡ Ἑλλάς* (*N*), cum dicat orator „non solum urbs nostra sed tota Graecia periculis miseria infamia obruitur"? Quam tenuis evaderet oratio, si diceret „non solum urbs nostra sed Graecia". Nec aliter II, 7 quae debentur soli correctori *A* *ταύτῃ πιστεύσει*, tam egregie complent

sententiam, ut nulla melior lectio excogitari possit. Quam si Blassius in dubitationem vocavit, quamvis magnopere commendetur dativo γεγενημένῃ, quo *N* et *A* concinunt, nimia aestimatione codicis Oeoniensis occaecatus est.

Ut in Dinareho ita in Antiphonte librarius *A* fidem jam nobis spectatam etiam in his praestitit. Hujus solius auxilio tres longae lacunae, quibus infectus est *N*, completae sunt, VI hyp.; VI 17; VI 32. Hic solus IV, β, 4 retinuit ἔγκλημα, quo sententia salva egere non potest. Quem autem potest fugere ex his IV, β, 6 γενέσθαι φονέα με αὐτοῦ ἡγεῖται εἶναι interpolatorem εἶναι exturbasse in *N*, cum γενέσθαι falso ad φονέα rettulisset! Nec aliter vix carere possumus IV, δ, 5 verbis καὶ τῆς ἑαυτοῦ propter ipsam gravitatem in illis sitam, quamquam libenter concedo, sine illis sententiam aliquo modo plenam esse.

Longe vero certissime quam fidelis fuerit librarius *A*, inde perspici potest, quod V, 13 post ἐρήμην ὀφλεῖν solus interposuit εἶναι τὴν δίκην. Minime enim dubito, quin in archetypo grammaticus quidam ut illustraret verba ἐρήμην ὀφλεῖν, ista supraposuerit. Nam forensis usus constantia et vetat aliter loqui quam ἐρήμην ὀφλεῖν et condemnat locutionem ἐρήμην ὀφλεῖν τὴν δίκην. Verbum autem εἶναι pro ἐξεῖναι positum esse, quam interpretationis viam ut ineamus nunc Blassius suadet, hoc ob eam ipsam rem plane mirum est, quod ἐξεῖναι paulo post sequitur. Quāre me quidem judice certum est, verba illa pro interpretamento habenda esse. Quorum naturam, cum docte perspiceret librarius *N*, praeteriit, quae fortasse collocatione quoque interlineari, cujus

generis essent, indicio erant, *A* vero indocte alienissima hospitio recepit.

Eadem inscitia fideque librarius *A* mihi I, 7 verba *πῶς οὖν περὶ τούτων, ὦ δικάζοντες, αὐτὸν εἰκὸς εἰδέναι, ὧν γε τὴν ἀλήθειαν οὐκ εἴληφε;* haec quidem ex margine archetypi insinuasse videtur, ubi juste ea in exilio esse passus est *N*. Nam recoquunt ista verbis paulum mutatis ea quae antecedunt *πῶς περί γ' ἃν οὐκ ἠθέλησε πυθέσθαι, ἐγχωρεῖ αὐτῷ περὶ τούτων εἰδέναι;* in quibus illud tantum distat, quod pronomen relativum demonstrativo repetitur. At hac ipsa re Antiphonteum colorem nobis depingi, docent haec V, 28 *ἐν ᾧ ἔπινε πλοίῳ . ., ἐν τούτῳ* etc. V, 30 *ὃν μὲν ἐβασάνισαν . ., οὗτος μέν* etc. V, 42 *τοῖς δ' ἐπὶ τοῦ τρόχου λεγομένοις . ., τούτοις δέ* etc. VI, 34 *τῇ δὲ τρίτῃ ἡμέρα . ., ταύτῃ δέ* etc. I, 23 *ὅπως διδῶσι δίκην . ., τούτου γε ἕνεκα* etc. VI, 33 *ἵνα δὲ μάθητε, τούτου ἕνεκα* etc. Accedit autem quod allocutio *ὦ δικάζοντες*, qua nemo unquam orator graecus usus est, et particula *οὖν* plane obscura etiam manifestius efficiunt ut fraus reveletur. Quam ob rem negari non potest, codicem *N* de his duobus locis optime meritum esse, quamvis manifesto, qua fide et inscitia librarius *A* fuerit, iisdem ante oculos ponatur nobis.

Ut modo duobus locis suum utrique codici reddidisse mihi videor, ita facere non possum, quin advocatus exoriar tam codici *N*, qui Antiph. V, 95 omisit *αραις των δετοι*, exquibus Dobraeus *ῥᾷστον δέ τοι* propitia Minerva eruit, quam codici *A*, qui Lyc. 28 praeteriit *η πορκλήσεις προκλήσοι ἄξιόν ἐστι*, quae additamenti speciem prae se ferunt. Cujus rei causa uterque vehe-

mentissime increpatus est hic a Blassio (ann. phil. 1875 (111) pg. 597), ille a Sauppio (epist. crit. pg. 27; quaest. Antiph. pg. 12). At uterque librarius vacuo spatio relicto manifesto professus est, se quasi necessitate coactum sibi visum esse illa omittere. Quod si quis aperte indicat fraudis eum insimulare injustum est.

Nec vero aeque patiuntur tam leniter nos judicare de codice *N*, quae hujus generis in Antiphonte reliqua sunt. Quamquam enim V, 39 *συνελὼν καί* certissime sunt vestigium verae lectionis *συνανελὼν καί*, cujus etiam in *A καί* postea erasum exstat, quamquam I, 27 ex solo *N* aptissime intexunt editores *αἰσχυνθεῖσα οὐδέ* ante *δείσασα*, tamen quae praeterea ex solo *N* suppetunt, supervacanea sunt. An quidquam lucratur sententia verbo *τότε* inserto vit. Antiph. Jernst. pg. 1, 6, cujus notio nobis etiam ex *μηδὲ ἦν πω* in promptu est, an I, 10 verbo *τοιαύτην*, cum quae fuerit inquisitio ex *περὶ αὐτῶν* appareat, qualis fuerit in antecedentibus ne verbo quidem tangatur? An I, 18 haec *παρ᾽ ἀνδρὶ ἑταίρῳ* vel tantillo dilucidiora exeunt adsuto *αὐτοῦ*? Nec aliter non vereor, ne quis verbum *δίκην*, quod VI, 42 post *φόνου* librarius N invexit, desideret, cum clangor verborum *τὴν δίκην δ᾽ εἰςάγειν* paene nondum auribus exstinctus sit. Quin etiam molestiae aliquantum librarius iste allevit Antiphonti, cum I, 22 jam satis amplam adjectivorum enumerationem *καὶ ἀθέμιτα καὶ ἀτέλεστα καὶ ἀνήκουστα καὶ θεοῖς καὶ ὑμῖν* etiam suis flosculis *καὶ ἀνόσια* ditandam esse censuit. Nam *ἀθέμιτα* significant ea, quae violant leges humanas, quae *θέσει* ortae sunt. *Ἀτέλεστα* autem designat ea,

quae adversantur antiquissimo Eumenidum cultui. Earum enim sanctitatem violat, qui mortem interfectori deprecatur. Haec duo autem repetuntur verbis ἀνήκουστα καὶ θεοῖς καὶ ὑμῖν ordine chiastico. Jam apertum est, quam injuste interpolator artificiosum verborum aedificium funditus everterit, quoniam ἀνόσια nihil aliud potest significare, nisi quod subest vocabulo ἀτέλεστα.

Nunc breviter comprehendam, quae modo tractavi, ut certa conclusione uti liceat. Videbamus decem locis, quae ad sententiae plenitudinem necessaria sunt retinuisse solum *A* (Din. I, 6; I, 39; I, 22; I, 31; II, 7; Antiph. IV, β, 4; V, 95; VI hyph.; VI, 17; VI, 32) quattuor solum *N* (Din. I, 70; III, 7; Antiph. V, 39; I, 27). Deinde octo locis, qualibus gaudemus privari, inspersit *N*, nusquam *A*, nisi forte IV, δ, 5 huc rettuleris. Quae cum ita sint, quamvis sola verisimilitudine, tamen cogimur longe majorem fidelitatem in his codici *A* vindicare.

Adhuc paene non poteramus nisi defendendo auctoritatem codicis *A* tueri et quasi plumbeo gladio utentes. Nunc autem descendere licet ad materiem, unde armis acerrimis in ejus aemulum impetum faciendi occasio obfertur, ad collocationem verborum, qua nostri codices maxime in diversas partes discedunt. In quo amplissimo, campo, si omnino nullam messem fecerunt Sauppius et Jernstedtius (pg. XXXVIII) multa sibi elabi passi sunt, quae huic quaestioni clariorem lucem accendere aptissima erant. Primus autem hanc viam ingredi in Antiphonte coepit Brieglebius (ind. schol. Anclam. 1861 pg. 1/2), quamvis non ad finem persecutus. Nunc vero

si Blassius (pg. XXIII sqq.) ex hiatus legibus aliquid subsidii capere enititur verborum collocationibus codicis N, satis infirmo muro aureolum suum libellum circumdedisse videtur, injuste Benseleri rationes ex Isocrate in Dinarchum et Lycurgum transferens. In quibus cum constanter hiatus non vitetur nisi quorundam vocabulorum, ceterorum vero saepe admittatur, omnino nego quidquam Blassii ratiocinatione concludi posse.

Libenter autem concedo Blassio, siquis quasi properantibus oculis verborum collocationes nostrorum codicum comparaverit, facile illi ordines codicis N elegantiores videri posse. At si accurata trutina perpenderit, non minus facile idem cognoscet, librarium N certas leges in transponendis verbis secutum esse, ita ut detectis illis nulla isti defensio relicta sit.

Atque primum quidem mirum in modum eo inclinabat librarius N, ut propius collocaret, quae quamquam sensu cohaerebant, tamen aut pluribus aut uno verbo segregata erant in archetypo.

Quis enim, qui haec Din. II, 18 legerit in A *ὧν οὐδὲν ἂν ἔχοι συμβεβηκὸς Ἀριστογείτων αὑτῷ δεῖξαι*, poterit negare, librarium N *δεῖξαι* insinuasse post *ἔχοι* ob aliam causam, nisi ne infinitivus tam longo spatio a nomine regente distaret? Cujus fraus non minus pellucet, cum Antiph. I, 11 maluit *κελεύων βασανίσαι ἀντ' ἐμοῦ* scribere pro *κελ. ἀντ' ἐμοῦ β.*, IV, *γ*, 6 *ἐκ παντὸς τρόπου ἐλεγχόμενος ἀποκτεῖναι* pro *ἐλ. ἐκ π. τ. ἀποκτεῖναι*, V, 73 *χρὴ γίγνεσθαι ἀεί* pro *χρὴ ἀεὶ γ.*, illis e medio loco sublatis, quae infinitivum verbum que regens distinent.

Eodem studio impulsus eo vergebat librarius N, ut genetivum suspensum a nomine quodam huic ipsi subjungeret. Ut Din. I, 65 pro hoc ordine verissimo *τὴν ἀξίαν δίκην δόντα τῶν πεπραγμένων* (A) hunc effinxit *τ. ἀ. δόντα δίκην τ. π.* — Quam eandem ob causam Antiph. I, 7 pro his *ἠθέλησεν ἔλεγχον ποιήσασθαι τῶν πεπραγμένων* (A) non veritus est reponere *ἠθ. ποιήσασθαι ἔλεγχον τ. π.* — Cum antem repperisset in archetypo IV, *γ*, 3 *οὐδὲ σημεῖον οὐδὲν ὑπολιπὼν ὧν ἠμύνατο*, properavit verbum *ὑπολιπών* sede sua injuste exturbare, ut genetivus *ὧν ἠμύνατο* domini sui *σημεῖον οὐδὲν* pedissequus esset.

Porro nonnunquam adverbia ausus est illis ipsis verbis alligare, quae illorum notione aut ornabantur, aut definiebantur, quasi discipulis quae cohaererent explanare sibi proposuisset. Cui enim reputanti hanc lectionem Din. I, 40 *οὓς χρῆν τεθνάναι κατὰ τὸ ἑαυτῶν ψήφισμα πάλαι*, latere potuit *πάλαι* ad *χρῆν τεθνάναι* referendum esse? Nec tamen librarius iste abstinere potuit, quin adverbium post *τεθνάναι* transmigrare juberet. Nec aliter cum in exemplari, quod descripsit, legisset Din. II, 9 *πολλάκις γὰρ ἴστε τοῦτο δήπου γεγενημένον*, multo dilucidior hic ordo illi videbatur esse *π. γ. ἴστε δήπου τοῦτο γ.*, quoniam *δήπου* cum *ἴστε*, *τοῦτο* autem cum *γεγ.* connectendum est. Eidem libidini morigeratus hanc optimam lectionem Antiph. V, 42 *ὁ δὲ τὸ παράπαν ἔφη οὐκ ἐκβῆναί με* impudentissime infregit. Cum enim ut in sermone latino voculas „omnino non“ ita in graeco *τὸ παράπαν οὐκ* arcto vinculo cohiberi manifestum esset, noster le-

pidissimus transportator nihil antiquius habuit quam ut ἔφη post ἐκβῆναί με transveheret. Ubi cum traditis quasi alas addere nimis studeret, etiam illud ei accidit, ut vim dictionis moleste imminueret. Nam τὸ παράπαν οὐδ', quod invexit, ferri non potest. Immo aut dicimus simpliciter „ne quidem" aut „omnino non", nunquam vero „omnino ne quidem", si quidem „omnino" ad negationem pertinet. Accedit, quod Antipho paulo ante § 26 eadem narravit his verbis ὃς οὐκ ἐξέβην τὸ παράπαν ἐκ τοῦ πλοίου.

Quam propensus autem librario N animus fuerit, ut propioribus sedibus, quae cohaerebant, constitueret, etiam inde colligitur, quod objectum verbumque regens dirimi intervallo aliquo pati non potuit. An aliud fuit, cur Din. I, 107 ubi A hunc ordinem proponit μοχθηρὰς ἐλπίδας ποιήσει πάντας ἔχειν, insereret ἔχειν post ἐλπίδας, aut cur Antiph. III, γ, 5 huic lectioni τὸν . . ἁμαρτάνοντα . . διαπῆξαι λέγει τὸ ἀκόντιον longe praestare censeret hanc τ. ἁ. διαπῆξαι τὸ ἀκόντιον λέγει, aut cur Antiph. I, 22 verbis ita se in archetypo excipientibus ἐν ὑμῖν τοῦτό ἐστιν ὀρθῶς διαγνῶναι, locum commutare juberet τοῦτό ἐστιν, si quidem τοῦτο voluit τοῦ exarans?

Nec alias leges sequebatur is, qui Antiph. II, β, 13 in verbis περιιδεῖν ἀδίκως καὶ ἀθέως διαφθαρέντα με ὑπ' αὐτῶν adeo offendit, ut με verbo περιιδεῖν subderet, unde pendet, aut is qui Din. I, 58 ubi A proponit οὐδὲ δεινὸν ἐφαίνετο ποιεῖν ὑμῖν, dativo ὑμῖν verbi regentis ἐφαίνετο vestigiis instare imperavit Quid igitur jam mirum est, quod idem, cum Antiph.

V, 5 verba *μᾶλλον ἢ* pronomine *αὐτό* segregata offendisset, nulla mora interposita pronomen transmeare coegit, ut haec orationis forma exiret *ἀπειρίᾳ αὐτὸ μᾶλλον ἢ ἀδικίᾳ*? Quamquam constat Antiphonti exquisitiorem illam collocationem satis consuetam esse. II, *δ*, 2 *ἐμὲ μᾶλλον ἀποκτεῖναι ζητοῦσιν ἤ*, V, 6 *ἐπὶ τῇ τύχῃ μᾶλλον ἀνάκειται ἤ*, V, 21 *προνοίᾳ μᾶλλον ἐγίγνετο ἢ τύχῃ*, V, 51 *τὸν φεύγοντα μᾶλλον ὠφελεῖ ἢ τὸν διώκοντα.* Unde apparet quam longe in rupes a semita aberraverit librarius N.

Nec omnino aliter fieri potuit, quin, qui eidem praecepto obsequebatur, Antiph. V, 48, quamquam in communi fonte haec *ὥστε πολλῷ ἂν ὑμεῖς δικαιότερον ἐκρίνεσθε* exhibebantur, *ὑμεῖς* post *δικαιότερον* transferret, ut dativus *πολλῷ* propius abesset a comparativo.

Quo eodem impulsu motus Antiph. V, 86 cum in hoc verborum tenore *τοσούτῳ γὰρ ἂν ἄμεινον ἐγιγνώσκετο* dativus et comparativus nimis longe sejuncti esse viderentur, particulam *ἄν* ante *ἐγιγνώσκετο* collocavit. Nec absimilis erat causa, cur Din. II, 2 tradita *ἀκριβέστερον ὑμεῖς ἐμοῦ γιγνώσκεσθε* injusta manu attigit. Neque enim quemquam poterit celare, se ob hanc solam rem *ὑμεῖς* transvexisse post *ἐμοῦ*, ut comparativus et genetivus ab illo suspensus se sequerentur. Quibus exemplis hoc asserendum videtur esse petitum ex Antiph. IV, *β*, 1. Ubi si quis lectionem codicis A *οὐχ αὑτῷ μόνον τῆς συμφορᾶς ἀλλὰ καὶ ἐμοὶ αἴτιος τοῦ ἐγκλήματος ἐγένετο* perpenderit, cui non statim illud insigne et nota dignum videbitur esse, tam longo intervallo *ἀλλὰ καί* et *τοῦ ἐγκλήματος* segregata esse, quam-

vis non minus arcte cohaereant quam *οὐ μόνον* cum *τῆς συμφορᾶς*. At ob eam rem Antipho verba minus vulgariter digerere maluit, ut verba *τοῦ ἐγκλήματος* majus pondus in fine sententiae posita nanciscerentur. Noster vero interpolator, qui nullo modo manus impuras ab hoc loco abstinere potuit, *αἴτιος* aute *ἐγένετο* transcendere coegit.

Non minus manifesto ejus fallacia detegitur, qui Din. II, 6 ubi in A legimus *ἀληθὴς καὶ δικαία ἡ κατ' Ἀριστογείτονος ἔσται ἀπόφασις*, se cohibere non potuit, quin *ἔσται* post *δικαία* internecteret. Satis enim perlucet, eum copulam quae vocatur copulare voluisse cum nomine praedicati adjectivo.

Denique qui Antiph. VI, 32 pro hoc verborum ordine *ἐθέλοντος ἐλέγχεσθαι ἐμοῖ περὶ ὧν ἠτιῶντο* substituere maluit hunc *ἐμοῦ ἐθ. ἐλ.*, eadem norma usus est. Nam ratione grammatica et *ἐμοῦ* cum *ἐθέλοντος* et *περὶ ὧν ἠτιῶντο* cum *ἐλέγχεσθαι* colliganda sunt.

Ne autem Lycurgeis exemplis prorsus careamus, hoc loco monendum videtur esse, bis librarium N in Leocratea vocativum ipsi imperativo subjunxisse, quamquam in archetypo longius inter se distabant. Nam cum in A § 130 legatur *ἐνθυμεῖσθε δὴ ὡς καλὸς ὁ νόμος, ὦ ἄνδρες, καὶ σύμφορος*, in N vero *ὦ ἄνδρες* statim post *ἐνθυμεῖσθε δή* inseratur, cui obscurum erit, eum efficere studuisse, ut inter se appropinquarent, quae suapte natura quasi confines erant. Idem cum repperisset § 114 *λαβὲ δὲ αὐτοῖς τὸ ψήφισμα, γραμματεῦ, καὶ ἀνάγνωθι*, ausus est allocutionem *γραμματεῦ*

imperativo ἀνάγνωθι postponere eadem proclivitate animi incitatus.

Ex omnibus his exemplis luce clarius apparet, quantopere saeviverit librarius N, dum falsae animi inclinationi obtemperans efficere studet, ut quae aut sensu aut ratione grammatica nexa inter se sunt, loco quoque fruantur vicinitate.

Nec vero in his ut acquiesceret, interpolandi libidinem compescuit. Accedunt enim non pauci loci, ubi traditam verborum collocationem ob eam rem immutavit, ut ambiguitatem sententiae, si qua ex collocatione nasceretur, tolleret.

Ut rectissime Din. I, 2 persensit his verbis ἵνα ὀργίζησθε μᾶλλον παροξυνόμενοι dubitationem quandam inesse ob eam rem, quod per collocationem μᾶλλον et ad ὀργίζησθε et ad παροξυνόμενοι referre licet. Nam hoc dicit orator „ut eo majore ira exardescatis stimulis orationis meae incitati“. Quare satis elucet, ob eam rem scripsisse librarium N ἵνα μᾶλλον ὀργίζησθε π, ne anceps sensus relinqueretur.

Simili causa motus Antiph. II, β, 10, ubi in A legimus οὐ γὰρ ἂν ἐδόκουν εἰκότως ἀποκτεῖναι αὐτόν, reposuit οἱ γὰρ ἂν εἰκότως ἐδόκουν ἀ. ἀ., nequis intermedio loco impelleretur, ut εἰκότως ad ἀποκτεῖναι referret. Illud enim certum est, Antiphontis sententiam in hunc modum adumbrandam esse „neque enim verisimilitudine quadam vobis viderer interfector esse“. Nec opus est monere, in tetralogiis εἰκός ubique significare quod verisimile est, in ceteris orationibus etiam id quod justum est.

Nec aliam normam is mihi videtur secutus esse, qui Antiph. IV, *α*, hyp. hunc ordinem *ἐκ λοιδορίας συμπεσόντες ἀλλήλοις ἐμάχοντο* ita transformavit, ut *ἀλλήλοις* anteponeret participio *συμπεσόντες*, nequis dativum illum cum *ἐμάχοντο* conjungeret, cum verbis illis satis intellegeret hunc sensum subesse „cum manus inter se conseruissent, pugnabant“.

Longe autem certissimum apud Antiphontem hujus generis exemplum IV, *β*, 8 prostat. Ubi siquis lectionem codicis A *ἀπολυθεὶς διὰ τὸ μὴ ὀρθῶς διδαχθῆναι ὑμᾶς ἀποφυγών* obiter inspexerit, ipse quoque fortasse primo haerebit, utrum huc *ὑμᾶς* trahat an illuc. Sensus autem necessitas efflagitat, ut connectatur cum *διδαχθῆναι*. Nam si quis cum *ἀποφυγών* colligasset, verba ita interpretanda essent, „propter ipsius inscitiam, cum vos effugisset“, quod absurdum est. Non igitur hebeti judicio usus spectatus noster interpolator ambiguitatem delere aggressus est. Fateor autem mihi participium *ἀποφυγών* admodum suspectum esse. Nam quamquam participium ex participio suspensum non plane caret defensione, at quod participia prorsus eadem significant, hoc scrupulum injicit. Cum autem Pollux VIII, 68 (Bekk. pg. 337) testetur, *ἀπελύθη* Antiphontis proprium esse, equidem existimo *ἀποφυγών* grammatici cujusdam esse, qui *ἀπολυθείς* vulgari locutione illustrare sibi proposuerat. Quod si recte judico, etiam clarius cognoscimus, injuste librarium N, transplantasse pronomen *ὑμᾶς* ut ante *διδαχθῆναι* habitaret.

Praeterea haec Dinarchea exempla ordinis ver-

borum a librario N immutati huc pertinere videntur, quae breviter asseram.

Din. I, 9 *τὸ μὲν γὰρ συνέδριον τὸ πρότερον δοκοῦν εἶναι πιστόν* etc. A. Ubi adverbium *πρότερον* quamvis positum ante *δοκοῦν* tamen definire verbum *εἶναι* constat, cum hoc fere modo illa interpretari possimus, „quod collegium nunc putant summa fide antea floruisse". Quod cum acutis naribus odoraretur librarius N, scripsit *τὸ πρότερον εἶναι δοκοῦν*, ne cui de hac re scrupulus remaneret.

Din. I, 94 *ἀπαγορεύων μηδένα ἄλλον νομίζειν θεὸν ἢ τοὺς παραδεδομένους* A. Cujus loci sensum hoc modo definiendum esse „edicto vetuit, ne quis crederet alium esse deum nisi qui a majoribus traditi essent", hoc quamquam extra omnem dubitationem positum est, tamen facile cui suspicio obrepere potuit, *μηδένα* et *ἄλλον* cohaerere propter ipsam verborum vicinitatem. Quam ob causam abesse non potuit, quin noster interpolator rescriberet *μηδένα νομίζειν ἄλλον θεόν*.

Din. II, 2 *τὸ δόξαι . . . καὶ (τὸ) τοῦτον ἐκείνης παρ' ὑμῖν ὑποληφθῆναι δικαιότερα λέγειν* A. Ubi in aperto est, *παρ' ὑμῖν* non ad *ὑποληφθῆναι* pertinere, sed ad *δικ. λέγειν*, a quo intervallo aliquo diremptum est. Nam ab universa civitate Aristogitonem putari veriora dicere quam Areopagitas, hoc indignum facinus est. Quare ne quis errore obstringeretur, librarius N verba in hunc modum ordinavit *παρ' ὑμῖν δικαιότερα λέγειν*.

Din. III, 13 *ἃ οἱ πρόγονοι ὑμῖν κατασκευάσαντες κατέλιπον* A. *ὑμῖν κατέλιπον* N. Plane absurdum est

dicere „majores magna pecunia portum et navalia exstruxerunt, ut posteri illis fruerentur“ Nam nulla aetas talia non sua maxime causa aedificat et hostium impetum metuens. Quae si posteris relinquit, necessitate temporis relinquit. Quare ὑμῖν necesse est ad κατέλιπον referri. Librarius vero N, qua erat audacia, stilo pernicissimo transposuit, ne quem collocatio mira ludificaret.

Ut autem persaepe librarins N perspicuitati prospiciens traditum verborum ordinem attigit, ita sunt loci, ubi venustatis causa suo arbitrio verba digerere ausus est. Ut Din. II, 9 illi molestum videbatur duos infinitivos se sequi τίνα χρὴ τοῦτον νομίζειν ἔχειν διάνοιαν, quibus tantum inesse incommodi opinabatur, ut reponeret νομίζειν διάνοιαν ἔχειν.

Idem Din. I, 76 in duobus vel tribus genetivis, quorum alter ab altero suspensus est τῆς παρὰ τῶν προγόνων ἡμῶν σωτηρίας adeo offendit, ut limaret verba hoc modo τῆς παρὰ τῶν ἡμετέρων προγόνων σωτηρίας. Plane ob eandem causam, quod Din. III, 12 legitur τὸ τῆς ἡγεμονίας ἡμῶν ἀξίωμα, perpolivit in hunc modum τὸ τῆς ἡμετέρας ἡγεμονίας ἀξίωμα. His duobus locis illud nemo non concedet, lectionibus codicis A invenusti et importuni aliquid subesse, lectiones codicis N multo elegantiores esse. At ipsa illa elegantia tam plane convincit fraudem interpolatoris, ut omnis dubitatio profligetur. Neque enim desunt exempla, quae optime confirment inconditiores illas lectiones. Din. I, 29 τοῖς πᾶσι συμφέρουσι i. e. ἃ πᾶσι συμφέρει. Lyc. 42 πολλῆς χώρας τῶν βαρβάρων ἐπάρχειν. Plura sub-

ministrat Schoemannus ad Isaeum pg. 374. Videmus igitur his locis librarium N non contentum fuisse verbis in alium ordinem redactis, sed apertissime interpolavisse Dinarchum.

Deinde reperiuntur aliqui loci, ubi transportatoris nostri insidias ob eam rem effugere licet, quod nimis manifestum est, eum sudasse in eo, ut facilior vulgariorque prodiret ordo verborum. Huc primo loco exempla particulae *μέν* in Antiphonte a librario isto transpositae rejicienda videntur esse. Nam etiam haec ad regulae normam dirigere ausus est. Qui cum II, *γ*, 8 legisset *αἱδ' εἰςφοραὶ καὶ χορηγίαι ἱκανὸν μὲν εὐδαιμονίας σημεῖόν ἐστι, τοῦ δὲ μὴ ἀποκτεῖναι τἀναντία*, ferre non potuit particulam *μὲν* alii verbo adnexam, quam ad quod pertinere sententiae oppositio docet. Nam illud quidem manibus tenetur sibi opposita esse *εὐδαιμονίας* et *τοῦ ἀποκτεῖναι*. Quam ob rem, quod offensioni erat, hoc modo tollere iste studuit, ut legeret *εὐδαιμονίας μὲν ἱκανὸν σημεῖόν ἐστι, τοῦ δὲ μὴ* etc.

Prorsus eidem legi obsecutus V, 29 in hunc modum conformavit ordinem verborum *ἐπειδὴ δὲ ἐγὼ μὲν φροῦδος ἦ, τὸ δὲ πλοῖον ἥκεν* (A: *ἐγὼ φροῦδος μὲν*), VI, 25 *ὅπου εἶεν μὲν ἐλεύθεροι πολλοὶ . ., εἶεν δὲ δοῦλοι* (A: *εἶεν ἐλεύθεροι μέν*), VI, 29 *δεινὸν εἰ οἱ αὐτοὶ μάρτυρες τούτοις μὲν ἂν . . πιστοὶ ἦσαν, ἐμοὶ δέ* (A: *οἱ αὐτοὶ μὲν μάρτυρες*), VI, 37 *οὗτοι τότε μὲν πρόθυμοι ἦσαν . ., ἐπειδὴ δέ* (A: *οὗτοι μὲν πρόθυμοι*). Cum igitur quinquies particulam *μέν* subjunctam esse videamus illi verbo,

quod ipsa oppositione auctum est omni pondere, quis poterit negare, hoc consulto factum esse?

Nam illud paene supervacuum est adnotare, particulas *μέν-δέ* apud omnes scriptores ita collocatas reperiri, ut non adhaerescant illis verbis, quorum notiones ipsis particulis gravantur. Nec Antiphontem abhoruisse ab hoc usu ostendent haec: II, *β*, 11 *οἱ δὲ διώκοντες μὲν ἐμὲ τὸν ἀναίτιον, τὸν δ'αἴτιον ἀφέντες*, IV, *β*, 7 *καθαρῷ μέν μοι τῆς αἰτίας ὄντι φόνον ἐπικαλοῦντες, ἀποστεροῦντες δέ με τοῦ βίου*, V, 45 *ἔπειτα ἐν τῇ γῇ μὲν ἀποθανόντος, ἐντιθεμένου δὲ εἰς τὸπλοῖον.* Nec absonum videtur esse monere etiam particularum *τε-τε* similem collocationem minus vulgarem Antiphontem admodum amare cf. Maetzner. pg. 185. Unde certissime efficitur, quinque illis locis librarium N interpolatoris vices suscepisse

Non minore libidine librarius N versatus est in transponenda particula *γε*, quamquam in his paulo difficilius est eum fraudis coarguere. Sed tamen vix quemquam praeterire poterit, eum Antiph. I, 29 ubi in A *οὐδὲν ἴσασι πρὶν ἐν αὐτῷ ὦσι τῷ κακῷ γ'ἤδη* leguntur, *γ'ἤδη* post *πρὶν* rejecisse, cum eidem legi se addixisset, cui quinquies obsequi eum modo videbamus. Apparet enim *γε* minime ad *κακῷ* referendum esse, sed extollere notionem verbi *ὦσι.* Similiter Antipho dixit V, 4 *ἐν ἀνδράσι γε ἀγαθοῖς*, ubi *γε* notionem adjectivi exaggerat, quamvis ipsi non subnexum. Particulam *ἤδη* autem eodem modo in fine positam reperimus V, 40 *τῇ ἀνάγκῃ χρώμενος ἤδη.* Quid igitur cer-

tius est, quam librarium N spreto archetypo libera vestigia secutum esse.

Plane eadem res ansam mutandi ei dedit Antiph. II, γ, 6 ubi A proponit *οὐδεμίαν ἐλπίδα γε εἶχε τούτου ζῶντος*. Cum enim nesciret, particula γε gravari *οὐδεμίαν*, ita ut haec vis illis subesset „ne ullam quidem habuit spem“, cumque ad *ἐλπίδα* spectare non posset, sibi coactus videbatur eam post *τούτου* inserere.

Multo vero difficilius est, firmis argumentis probare, injuste librarium N Antiph. V, 24 rescripsisse *καίτοι οὐ δήπου γε κατ' ἐμαυτοῦ μηνυτὴν ἔπεμπον εἰδώς* pro *καίτοι γε* etc. Incidimus enim in implicatam quaestionem, num omnino *καίτοι γε* ferri possit in bonae graecitatis auctore. Quod Cobetus (Memos. VII pg. 276), dum omnia ad eandem normam exigit, ob eam rem negat, quod plurimis locis internecti soleat verbum quoddam. Cum quo conspirant Blassius et Jernstedtius (ad Antiph. V, 74). Omnes autem dubitationes excitatae sunt a Porsono, qui ad Medeam 675 negavit *ἐπείτοι γε* atticum esse, cum *τοί γε* colligari non solerent nisi segregata alio verbo. Qui quamquam particulas *ἐπείτοι γε* attigerat solas, tamen Hermannus (ad Viger. pg. 846 edit. 3) dubitationem etiam ad *καίτοι γε* transtulit. Nunc vero Jernstedtius etiam *μέντοι γε* Atticis abjudicat (ad Antiph. V, 19 et VI, 3). Videmus igitur a levissimis incrementis quam longe serpserit haec labes. Cur autem *τοί γε* colligari non possent — nam hinc illae lacrimae —, nemo adhuc ostendit, nec unquam ex ipsa particularum natura poterit ostendere, si quidem *μέν γε, ἆρά γε*, alia hujus modi graeca

sunt. Accedit quod tam firma hujus consuetudinis exempla G. Hermannus (l. l.) attulit Arist. Acharn. 611 καίτοι γ' ἔστι σώφρων κἀργάτης, Eurip. Iph. Taur. 720 (Kirchh.) καίτοι γ' ἔγγυς ἕστηκας φόνου, ut ne ipse quidem in dubitationem vocare auderet, cum et ipsius sententiae luce et metri necessitate defenderentur. Quam ob rem mihi rectissime Hartungius (de part. ling. graec. II, pg. 403 et 377) exposuisse videtur, ubicunque particulis καίτοι γε verbum interponeretur, ad hoc ipsum, ubicunque nihil interponeretur, ad totam sententiam γε referendum esse, qua ratione etiam μέν γε et ἆρά γε interpretanda sunt. Quod optime exemplis probatur. Nam si consideraverimus haec Antiph. V, 14 αὐτὸς σαυτῷ νόμον θέμενος· καίτοι τούς γε νόμους etc., V, 19 καίτοι χαλεπόν γε, V, 61 καίτοι καλλίων γε, facile apparebit, illud verbum, quod pondere augetur, intermediam sedem obtinere. At in hoc Aristopanis versu Acharn. 611 καίτοι γ' ἔστι σώφσων κἀργάτης, omnino nullum verbum reperitur, quod majoris gravitatis sit, quam cetera. Nec aliter se habet hoc Lycurgi exemplum § 90 καίτοι γε ἐπεχείρησεν εἰπεῖν, ubi et εἰπεῖν et ἐπεχείρησεν aequo vocis flatu proferenda sunt, ita ut γε ad totam sententiam spectare necesse sit. Jam regredi possumus ad nostrum Antiphontis exemplum καίτοι γε οὐ δήπου κατ' ἐμαυτοῦ μηνυτὴν ἔπεμπον εἰδώς. Minime enim latet, et οὐ et κατ' ἐμαυτοῦ et εἰδώς sua quidque aequa ponderis parte frui. Siquis vero quid graviore sono efferre vellet, haud dubie εἰδώς gravandum esset. Nam sciens nemo se prodit. Cum autem Antipho maluisset εἰδώς in

fine collocare, paene coactus erat *καίτοι γε* scribere. Quare equidem persuasum habeo, et nostro loco veram lectionem in A ad nos propagatam esse et ceteros injuste tentatos esse.

Restant nobis nonnulla singula exempla verborum a librario N transpositorum, in quibus transformandis illi non contigit occultare quo consilio usus esset.

Din. I, 92 *πεῖραν . . καὶ τῶν ἔργων καὶ τῶν λόγων καὶ τῆς τύχης* A, *καὶ τῶν λόγων καὶ τῶν ἔργων* N. Collocationem codicis N. vulgariorem esse et notum est et ex Maetzneri exemplis potest cognosci ad hunc locum allatis. Ordini autem illi minus usitato tam gravem defensionem comparant loci a Lobeckio (Paral. gram. I pg. 64) citati ut nullo modo dubitare possimus, quin librarius N, quae magis singularia sunt, usui vulgari accommodaverit.

Antiph. V, 84 *οἱ μὲν ἄλλοι ἄνθρωποι τοῖς ἔργοις τοὺς λόγους ἐλέγχουσιν οὗτοι δὲ τοῖς λόγοις ζητοῦσι τὰ ἔργα ἄπιστα καθιστάναι* A, *τοῖς λόγοις τὰ ἔργα ζητοῦσιν* N. Oppositionis hujus gravitatem, quae omnis sita est in verbis *τοῖς λόγοις* et *τὰ ἔργα*, debilitari interjecto *ζητοῦσι*, solamque fere in verborum pronuntiatione niti, hoc quidem evidens est. Quae vis ut ex collocatione quoque percipi posset, librarius N *ζητοῦσι* e suo domicilio ejecit, posteriorem partem insulse priori adaequans. Possumus etiam illud afferre, eodem ordine quam in A eadem verba legi VI, 47, quamquam huic argumento haud ita multum tribuerim.

Antiph. IV, *α*, tit. *κατηγορία φόνου* etc. A, *φόνου κατηγορία* N. Librarium N neglegenter invertisse or-

dinem, et titulorum consuetudo et Antiphontea exempla evincunt. II. α, κατηγορία φόνου ἀπαράσημος quod N ut solet repetit in fine orationis. Jernst. pg. 14, 17. III, α, κατηγορία φόνου ἀκουσίου; β, ἀπολογία φ. ἀ; idem N Jernst. pg. 29, 4; IV, β ἀπολογία φόνου etc. idem N Jernst. pg. 39, 14. —

Din. I, 2 ἡμῖν τοῖς λοιποῖς (scil. κατηγόροις) A, τοῖς λοιποῖς ἡμῖν N. Satis exploratum est, quam late apud oratores atticos pateat consuetudo hoc modo loquendi ἡμεῖς οἱ κατήγοροι vel ὑμεῖς οἱ ἀντίδικοι vel similia. Cujus dicendi moris haec Antiphontea et Dinarchea exempla in promptu sunt. Antiph. III, δ, 1 ἡμεῖς οἱ ἀντίδικοι; V, 85 ὑμεῖς οἱ τῶν δικαίων ἴσοι κριταί; V, 89 ὑμᾶς τοὺς δικαστάς. Din. I, 22 ὑμᾶς τοὺς κρίνοντας; I, 106 ὑμεῖς οἱ κύριοι πάντων; II, 6 ἡμεῖς οἱ κατήγοροι; II, 21 ὑμῖν τοῖς δικάζουσι; III, 16 ὑμεῖς οἱ τῆς δημοκρατίας . . φύλακες. Jn quibus omnibus, cum pronomen priorem sedem occupet, videmus, librarium N neglegenter nostro loco constantem consuetudinem violasse.

Din. I, 109 καλοὺς καὶ πολλοὺς κινδύνους A, πολλοὺς καὶ καλούς N. Quamquam πολύς associato altero adjectivo solere priore in statione habitare omnibus compertum est, tamen illam alteram minus cotidianam collocationem optime ferri posse, ispe Dinarchus testis est I, 37 (μεγάλων καὶ πολλῶν κινδύνων). Nam et ibi Blassium et nostro loco librarium N injuste vim Dinarcho intulisse, exemplis efficitur congestis a Maetznero (ad Lyc. pg. 153), a Strangio (Jahn. ann. vol. suppl. IV pg. 434) a Lobeckio (Paral. gr. I, 60), quos laudavit

Frankins (Nov. diurn. Jenens. 1842 (250) pg. 1030). Sed omnium doctissime Schaeferus ad Dem. pg. 526, 1 (tom. III pg. 339) explanavit, quanto sententia diversa sit, ut quoque loco *πολύς* priorem aut alterum locum obtinet. Nam haec *οἱ πρόγονοι πολλοὺς καὶ καλοὺς κινδύνους ὑπέμειναν* significant „saepe majores gloriosa pericula subierunt", ita ut „gloriosa pericula" quasi pro uno verbo sit, gloriositasque periculorum dicatur crebra fuisse. At in his *καλοὺς καὶ πολλοὺς κινδύνους* utrumque adjectivum per se stat aequoque jure fruitur, ut sensus subsit „subierunt pericula et saepe et gloriose". Quam sententiam nostro loco multo magis convenire evidens est. Neque enim propter gloriositatem periculorum patria Atheniensibus carrissima erat, sed propter ipsa pericula a majoribus exantlata.

Haec fere habui, quae de verborum collocatione dissererem. Nam ex satis amplo numero reliquorum locorum huc pertinentium — sunt autem in Antiphonte, Dinarcho, Lycurgo quadraginta quinque fere — quamquam sunt praeterea, ubi verisimilitudine aliqua ostendi possit, codicem A antiquum et genuinum ordinem servasse, tamen satius est ea praetermittere utpote nimis dubitationis plena. Ex tanto numero autem ne unus quidem indagari potest, ubi librarium A ex composito transposuisse probari possit.

Atque etiam ne illo quidem exemplo, quo insultabunt sine dubio adversarii Antiph. N, 2 ubi in collocando prononime *ὑμᾶς* codici N collatus locus V, 14 concinit, quidquam efficitur. Quis enim non cognoscit, suo more librarium N objectum *ὑμᾶς* verbo regnanti

affixisse? Loco autem communi, qui vocatur, collato nihil concludi potest. Nam rectissime H. Schaferus (de partic. usu apud Antiph. pg. 19) censuit, varietatis in illis locis ipsum Antiphontem auctorem putandum esse. Contra quinquagies fere apertae fraudis damnatus librarius N jacet. Nam quamquam nonnulla casu ingruere potuisse non nego, tamen longe in plurimis eum consilio usum esse ob eam rem certum est, quod nimis clare quasi per transennam translucet, quem ad finem verba in alium locum transmovere susceperit. Qui autem in verbis digerendis tanta impudentia grassatus est, quis praestare potest, eum in ceteris compressisse animi libidinem.

Quare etiamsi nulla praeterea argumenta suppeterent, tamen recensionis fundamentum esse codicem cripsianum jam ex his sequeretur.

Postquam tractata collocatione verborum codicem A firmissimo vallo munivimus, auctoritatemque codicis N haud leviter latefactavimus, possumus nunc transgredi ad ceteras lectiones perquirendas, quibus codices nostri discrepant. Ex qua quaestione mihi non videntur excludenda esse quae spectant ad formam verborum recte scribendam. Nam ex his quoque quamvis minutis quae fides sit utrique codici optime comparebit.

Primo igitur loco de hiatus apud Dinarchum usu nonnulla disputemus. De quo rectissime Benselerus accuratissimus harum rerum perscrutator (de hiatu in orat. att. pg. 194) adnotavit „In Lycurgo et Dinarcho hiatum non quidem evitatum tamen rarius reperies“. Comparatis autem nostris codicibus, mirum est, quam

saepe N vitiosum hiatum importaverit in Dinarchum, ubi vitatus est in A. Quod cum semper deterioris codicis proprium soleat esse, etiam his auctoritas codicis A crescit.

Accedamus autem ad singula. Particulae δέ hiatum semper fere vitavit Dinarchus. Ubi autem reperitur, causa cur admissus sit, facile indagari potest. Ut non praecisum est δέ pronomini subjunctum, praesertim ubi quid aliud oppositum est. I, 26 οὗτος δὲ ὁ paulo ante κἀκεῖνοι (μέν); 70 σὲ δὲ ἁρπάζειν, antecedit τοὺς μὲν ἐργαζομένους; 104 σὺ δὲ οὕτω, opposita est Demadis ratio. III, 3 νυνὶ δὲ ἀπολ. antecedit πρότερον μὲν. III, 16 ὑμεῖς δὲ οἱ, oppositum est ὁ μὲν δῆμος. Nec aliter passus est Dinarchus vocalem particulae δέ concurrere cum sequente vocali propter aequabilitatem orationis, ubi in enumerationibus saepius ponitur. I, 34 ἡ δὲ Ἑλλάς (μὲν-δὲ-δὲ-δὲ). I, 71 τοὺς δὲ οὐ γεγ. (μὲν-δὲ-δὲ). I, 89 Δημάδης δὲ ἐξακ. I, 97 δὲ αὐτὸν. Deniqne gravitatis causa δέ plenam formam retinuit I, 49 ἠδικήθην δὲ ὑφ' ἑνός, ubi cum antecedat οὔτε-οὔτε eodem pondere fruitur particula δέ quam ἀλλά, et I, 59 ἀληθινῆς δὲ αὐτῆς οὔσης cum antecedat οὐκ ἐξηλέγχθη.

Nec aliter δέ imperativo affixum obtinet pleniorem formam. I, 72 ἐπιβλέψατε δὲ ἐπί, I, 98 ἀκούσατε δὲ αὐτῆς. Restat hic unus locus I, 67 τί δὲ ἄν A, τί δαὶ ἄν N, ubi jam pridem correctum est τί δ'ἐάν propter anaphoram conjunctionis ἐάν. Ceteris omnibus locis cum Dinarchus breviorem formam ponere praehabuerit, efficitur his duobus locis sequendum esse A I, 84

ἐπειδὴ δὲ εἰς N (δ'A), I, 95 αἰτίας δὲ ἕνεκα N (δ'A). Nec minus certum est, neglegenter complevisse librarium N particulam adversativam ἀλλὰ II, 19 (ἀλλ' ἕκαστος A), cujus plenam formam semel posuit Dinarchus ponderis causa I, 12 οὐκ, ἀλλὰ ἔλιπες, praecisam vicies sexies. Praeterea librarius N vitiosum hiatum Dinarcho supposuit his locis: I, 36 δέσποινα Ἀθηνᾶ, (δέσποιν' A); I, 90 μηδένα ἂν (μηδέν' A); II, 5 et III, 8 ἴστε ὅτι (ἴσθ' A), cons. cod. II, 7 et 23 οὐκ ἴσθ' ὅτι. — II, 17 ἔπειτα ἐν (ἔπειτ' A). Cons. cod. I, 49 et II, 11 ἔπειτ', I, 53 et II, 14 εἶτ'. Contra III, 13 ἔπειτα ὑποστείλασθαι, quod corrigendum est. — Plane dubia haec sunt I, 28 μετ' Ἀντιπάτρου A (μετά N); II, 6 κατ' Ἀριστογείτονος A (κατὰ N). Nam quamquam praepositionum μετά παρά κατά etc. pleniores formas ubique sprevit Dinarchus ante vocalem, tamen ubi nomina propria ex illis suspensa sunt, ita sibi non constant codices ut controversia transigi non possit. I, 4 παρὰ Ἁρπάλου bis. I, 1 et II, 4 παρ' Ἁ. I, 89 μετὰ Ἁρπάλου. I, 15, 61, 68 ὑπὸ Ἁρπάλου. I, 20 μετὰ Ἀλεξάνδρου. II, 2 κατὰ Ἀριστογείτονος. Contra uno loco certissime N verior est I, 79 δημοτικός γ' ὁ (A γε). Nam quod legitur in N et A pr. I, 40 παρακρούονθ' ὑμᾶς, II, 3 γενήσεσθ' αὐτὸν (cf. Blassium pg. XIX), sine dubio inde ortum est, quod syllaba -σθαι in archetypo compendiose exarata (cf. Antiph. VI, 26 ἀποφήνασθαι) utrique ansam erroris dederat. Quod compendium postea eadem manus in A perlustrans iterum archetypum recte expedivit. Nam et syllaba αι nusquam a Dinarcho abjicitur, et talia sibi minus pro-

bari profitetur Benselerus (ad Isocr. Areop. pg. 400). Multo saepius quam Dinarcho librarius N vitiosum hiatum obtrusit Antiphonti. Qui quamquam anxie hiatum non fugit, tamen in nonnullis voculis praecidendis plane easdem leges sequitur, quam posteriores oratores. Ut nusquam praepositionum *ἐπί ἀντί, κατά, παρά, ὑπό* plenioribus formis ante vocalem uti sibi concessit.

In quorum numerum etiam particula *ἀλλὰ* referenda est. Nam quod uno loco legitur V, 16 *ἀλλὰ ἀμφισβήτησιν . . ὑπελίπου,* ita non legem antiquat, ut eo certius perferat pondere ipsius loci ita loqui cogente. Neglegenter igitur librarium N V, 58 *ἀλλὰ οὐδέν* scripsisse pro *ἀλλ' οὐδέν* (A) certum est.

In particularum autem *δέ* et *τε* ultimis litteris elidendis, quas rationes Antipho secutus sit, plane desperatum est perquirere, quod librariorum culpa omnia obscurata sunt. Quis vero qui apud animum proposuerit, librarium N mira constantia 15 locis molestum harum particularum hiatum in Antiphontem intulisse, quis injuste eum turpatum esse non confitebitur? Sunt autem exempla haec. I, 2 *τῷ δ' ἐπελθόντι* A (*δὲ* N). I, 18 *σπονδάς τ' ἐποιοῦντο* A (*τε* N). I, 29 *οἱ δ' ἐπιβουλ.* A (*δέ* N). II, *α*, 10 *μήθ' ὑπὸ . . μήθ' ὑπὸ* A (*μήτε-μήτε* N). II, *β*, 11 *τὸν δ' αἴτιον* A (*δὲ* N). III, *β*, 9 *μήθ' ἑκών* A (*μήτε* N). III, *δ*, 4 *μήτ' ἐπινοήσας* A (*μήτε* N). V, 5 *τὸ δ' ἔργον* A (*δὲ* N). V, 17 *πώποτ' ἐδέθη* A (*πώποτε* N). V, 27 *οὔθ' αἷμα . . οὔτ' ἄλλο* A (*οὔτε-οὔτε* N). V, 42 *τοῖς δ' ἐπί* A (*δὲ* N). V, 45 *τά τ' ἐν* A (*τά τε* N). V, 60 *οὐδ' ἐκεῖνον* A (*οὐδὲ* N). V, 76 *τὴν δ' εὔνοιαν* A (*δὲ* N).

A contraria parte haec tantum stant II, *β*, 12 *μηδ' αἰσχρόν* N (*μηδὲ* A). II, *α*, 10 *αἴτ' ἀφορίαι* N, *αἴτε* A cui plena forma, cum pro *ἀναφορίαι* corrigeret *ἀφορίαι*, errore obrepsit.

Praeterea neglegenter peccavit librarius N: V, 24 *τἄλλα ἀνήγετο* (*τἆλλ'* A). V, 88 *τἄλλα ὅσα* (*τἆλλ' ὁπόσα* A). VI, 6 *τἄλλα ὅσα* N (*τἆλλ'* A). Magis incertum hoc est V, 56 *οὐκέτ' οἷόν τε* A, *οὐκέτι* N. cf. V, 6 *ἔτ' ὄντα*, V, 41 *οὐκέτι ἔφη* et passim. Contra hoc uno loco certissime N Antiphontis manum servavit V, 38 *κᾆτ' ἀφανίζουσι*, *κἆτα* A. cf. V, 27 *κᾆτ' ἐγώ*. Quod autem formam *δείσασ'* I, 27 praehabuit longiori plane mirum est. Nam et ipse N modo scripserat *αἰσχυνθεῖσα οὐδὲ*, nec Antipho usquam illarum participii formarum ultimam litteram elidit. Denique quo loco jam supra librarium N omni modo delinquere vidimus, V, 42 falsissime pronominis *με* correpta forma usus est, adversans usui Antiphonteo, qui nusquam illius pronominis elisionem admittit. Jernst. V, 13, 9. 15, 6. 16, 14. 25, 13. 36, 21. 42, 7. 59, 19. 71, 1. 73, 11.

Hoc loco aptissimum erit, illos locos, ubi codices nostri in crasi, quae vocatur, neglecta aut observata dissentiunt, paucis absolvere. Nam falsum esse *καλός τε καὶ ἀγαθός*, quod solus N Antiph. I, 14 proponit, Frankius ipsius defensor codicis ostendit (Philol. vol. suppl. I (1860) pg. 431), cui consentit Voemelius (Demosth. cont. pg. 15). Non minus certum est non *τὰ ἄλλα* cum N sed *τἆλλα* cum A legendum esse IV, *γ*, 1, quam formam Voemelius in Demostheneo codice

Σ ubique exaratam esse testatur, quamque tituli ipsi probant (cf. Wecklein cur. epigr. pg. 50).

Nec magis digna est, quae probetur, solius codicis N lectio II, β, 12 τὰ ἐναντία. Nam quam formam Voemelius et Frankius Demostheni et Aeschini vindicaverunt, eadem ut Antiphonti ubique restituatur, major exemplorum numerus postulat, I, 21. II, γ, 8. II, δ, 9. IV, γ, 4. contra stant II, β, 1. V, 83. Restat ex Dinarcho I, 99 τὰ αὐτὰ N, ταῦτα A, quod ipsum mendum docet in archetypo ταὐτὰ fuisse. Denique hoc uno loco falso A delevit crasin V, 57 καὶ ἐκείνῳ. Ex his exemplis a nobis accumulatis cognoscimus, hiatu neglecto et crasi completa plus 30 locis delinquere N, quattuor fere vel quinque A. Unde eum etiam in his praestantiorem esse efficitur.

Eadem codicis A virtus non minus probatur illis locis, ubi in ν adscriptivo aut addito aut omisso ab N discedit. Licet enim hanc quoque quaestionem certa ratione dijudicare, quod plane eadem lex in his et a Dinarcho et ab Antiphonte vel potius ab eo, qui hanc oratorum recensionem paravit, servata est. Etenim ponitur littera illa adscriptiva ante vocales, omittitur ante consonas et finita sententia et media. Cui legi haec pauca exempla adversantur, quae ν ante consonam affigunt verbo antecedenti. Din. I, 24 προδέδωκεν. κἀκεῖνοι. 82 ἐστιν. λέγε. 104 ἀποπέφαγκεν. καὶ. Haec I, 109 καθίστησιν εἰς, II, 6, ἐστιν ἀφεῖσθαι solus N aliter collocat. Antiph. I, 29 ἴσασιν πρίν. III, β, 3 ἦλθεν. τοῦ. VI, 13 εἴωθεν ταύτην. Quare nullo modo ubi ab alteroutro codice solo littera adscriptiva

adjicitur ante consonam, qui fidelior sit, discerni potest. Quamquam nemo cessabit illi adjicere calculum, qui servavit litteram illam. Nam recte monuit Voemelius (l. l. p. 15) in optimis libris eam poni saepius etiam ante consonas. Prostant autem haec exempla in Dinarcho et Antiphonte, quibus codices dissentiunt. Din. I, 15 ἀποπέφαγκεν χρήματα N, ἀποπέφαγκε A. I, 40 πεποιήκασιν μὲν N, πεποιήκασι A. III, 16 ἐπέτρεψεν φείδεσθαι N, ἐπέτρεψε A. — I, 63 ἐστιν; μαρτυροῦνται A, ἐστι; N. — Antiph. I, 16 ἔμελλεν. κάλλ. N, ἔμελλε. A. V, 46 ἐστιν, -καθ' N, ἐστι A. V, 94 ἐστίν, καί N, ἐστι A. — II, δ, 5 ἀσπαίρουσιν συντ. A ἀσπαίρουσι N, (cf. Jernst. add. ad pg. 22, 22). III, δ, 5 ἥμαρτεν μηδ. A, ἥμαρτε N. III, δ, 8 ἐστίν. — ἔχοντος A, ἐστί N. IV, γ, 1 φησιν φονεύς A, φησι N. — Quo magis haec dubia sunt, eo certius illud est, ubicunque ab alteroutro codice omittatur littera adscriptiva ante vocalem, eum potiorem esse, qui suggerat. Nam quamquam tituli cujusvis aetatis in hac re maxime varii sunt (Wecklein. l. l. pg. 50), tamen ubi primum orationes edi coeptae sunt, paene necessarium erat, se certis legibus addicere. Quare certum est his locis fideliorem esse A quam N. I, 23 ἠδίκηκεν. ἐγώ A, ἠδίκηκε N. II, α, 7 ἐπῆρεν. ἤλπιζε A, ἐπῆρε N. III, γ, 6 ἀπέθανεν. ὅδε A, ἀπέθανε N. V, 32 σφίσιν αὐτοῖς A, σφίσι N. V, 93 ἐστιν ἄξιον A, ἐστι N. VI, 42 λέγουσιν. ἔδει A, λέγουσι N.

Ut in hiatu vitando similibusque modo intelleximus majoris fidei esse codicem A, ita librarius N saepe in pronuntiandi notis corrumpendis peccavit suae aetatis

mori oboediens. Possum enim praetermittere eum mira constantia ἶσος syllaba priore producta (Jernst. pg. 16 ad II, β, 8), et οἶοντε (Jernst. pg. XLI) scripsisse, quamvis manifesto appareat, eum in his libera vestigia secutum esse. Nam constantia, ubi variare solent boni codices, haud levis accusatrix est.

At quam saepe idem aspirationis notam expulit? Qui ubique fere scripsit ὅρκος. Din. I, 14 ὅρκον. III, 10 ὅρκου. III, 17 ὅρκων. Antiph. V, 11, 12, 90, 96 ὅρκοι. V, 96 ὅρκῳ. Praeterea similia sunt: Din. I, 76 ἧκον. I, 80 ᾑρημένας. Antiph. I, 27 ἥρωας. V, 16 ἑλών. Longe vero saepissime infecit vitio pronomen reflexivum αὑτοῦ. Din. I, 5 τὴν πίστιν τὴν περὶ αὑτῆς Bekk. ex A ut vid. αὐτῆς N. I, 13 αὑτῷ post κατορθῶσαι A, αὐτῷ N. 30 extr. αὑτῷ A, αὐτῷ N. 31 αὑτοῦ ante τύχης A, αὐτοῦ N. 35 αὑτῷ ante γράφων solus N. 40 αὑτῶν ante ἀσφάλειαν N. 44 αὐτοῦ ante πολίτας N. 52 αὐτὸν post μισθώσας N. 56 παρ' αὑτῶν N. 58 αὑτοῦ ante μητέρα N. 104 περὶ αὐτοῦ N. II, 3 αὑτῷ post νομίζων N. II, 8 αὐτοῦ ante πατέρα. idem § 11. II, 18 αὐτῷ post Ἀριστογείτων N. III, 5 κατ' αὑτοῦ N. III, 18 αὑτῷ post ὄντων N. Antiph. III, β, 4 τῆς αὑτοῦ A, αὐτοῦ N. V, 45 ἔνδον ὢν αὑτοῦ A, αὐτοῦ N. A contraria parte hoc unum exemplum stat V, 93 αὑτῷ ante συνειδότι N, αὐτῷ A. Cum igitur eluceat etiam in his auctoritatem multo infirmiorem esse codicis N quam A, non caute egit Blassius, quod Din. I, 13 scripturam codicis N εἰ συνέβη κατορθῶσαι αὑτῷ potiorem habuit.

Plane eadem labes, quae tam saepe in codice N pronomen reflexivum vitiavit, invasit non minus saepe verbum εἵργειν, quod constanter librarius N spiritu leni librarius A aspero ornavit. cf. Blassium ad III, α, 2. Maetzner. pg. 37, ad III, α, 2. Jernst. ad VI, 34 pg. 82. Nam cum Jernstedtius Antiph. IV, β, 3 et V, 10 (add.) a secunda manu lenem spiritum in A invectum esse testetur, certum esse videtur eandem correcturam eidem manui III, α, 2 et β, 9 adscribendam esse. Facere autem non possum, quin etiam in hac re praestantiorem esse codicem A censeam. Nam quae lex nunc solet circumferri, εἵργειν τινί significare „concludere quem in locum", εἴργειν τινός „excludere quem ab aliqua re", haec lex sola nitens in Eustathii (ad Od. pg. 1387, 3) aliorum que ejusdem aetatis grammaticorum praeceptis (Lobeck. ad Soph. Aj. v. 753), et ceteris antiquiorum grammaticorum testimoniis (Cramer. anecd. III, 353, 28 cf. Stephan. thes. III, pg. 1984) adversatur et per se absurda est. Nam quod verbo εἵργειν τινί vel τινός vis illa subest, hoc non pendet a spiritu aut leni aut aspero, sed propter ipsam naturam genetivi et dativi casuum plane necessarium est. Lex autem illa ut corruat, efficiunt etiam codicum testimonia. Nam Bekkerus ad Thucyd. I, 35, 10 adnotavit, Parisinum A sibi constare in scriptura εἵργειν, eique plerumque consentire Vaticanum B et Palatinum E. Nec aliter Sophoclis Laurentianus nonnunquam verum servavit. Phil. 569 φόβος τις εἷργέ νιν. Aeschyl. Choeph. 434 μυχοῦ δ' ἄφερκτος. Ipse autem noster Oxoniensis recte Lyc. 112 εἱρχθέντας proponit. Quam ob rem admodun

verisimile est, formam εἴργειν atticis scriptoribus reddendam esse.

Restant nonnulla singula exempla, quae spectant ad formam verborum. Quae praeterire non possum, quod injuste mihi editores illis locis optimas lectiones codicis A aspernati esse videntur. Antiph. I, 12 τούτων ἐθελόντων A, θελόντων N. Formam ἐθέλειν antiquiorem esse constat. Nam quamquam jam tragici formam breviorem admiserunt metri vinculis obstricti (cf. Meutzner. ann. scient. antiq. 1844 pg. 174. Ahrens de crasi et aphaeresi pg. 23), tamen Pertzius optime cognovit, ubique Lysiam longiore forma usum esse, nisi quod ἂν θεὸς θέλῃ dicere maluit (quaest. Lysiac. cap. II pg. 7). Nec aliter in Demosthene paene unicum ἐθέλειν reperiri Voemelius (l. l. pg. 11) affirmat. Etiam in Antiphonte multo major exemplorum numerus ἐθέλειν et post vocalem et post consonam servavit I, 8 ἐμοῦ ἐθέλοντος. 15 οὖν ἐθέλει. 16 εἰ ἐθελήσει. III, β, 8 συνεθελόντων. IV, β, 7 μοι. ἐθέλω δὲ. V, 17 ἀνθρώπων. ἐθέλοντος. 24 οὐδενὸς ἐθέλοντος. 93 συνέξεσωσεν, ἐθέλουσα. VI, 26 οἱ οὐκ ἐθέλοντες. 32 γὰρ ἐθέλοντος A, ἐμοῦ ἐθ. N. VI, 41 αὐτὸν ἐθέλειν A. Cur autem Antipho, si dixit ἐθέλω δέ IV, β, 7, maluerit θέλω δέ III, δ. 3 et 5 et IV, γ, 1, cur si scripsit I, 8 ἐμοῦ ἐθέλοντος, maluerit ἐμοῦ θέλοντος I, 12, cur si non sprevit I, 16 εἰ ἐθελήσει, maluerit I, 11 ὁ θέλων V, 95 ἔτι θελήσουσι, intellegi non potest. Contra I, 20 ἐὰν οἱ θεοὶ θέλωσι minime tentanda sunt, firmata etiam Lysiae consensu. Ceteris autem omnibus locis antiquorem formam restituendam esse arbitror,

quam librarius N neglegenter e loco supra indicato expulit.

Non minus idem Antiphonti antiquitatem exuit, cum IV, δ, 5 inculcavit ἠβούλετο pro ἐβούλετο. Nam formas ἠδυνάμην, ἤμελλον, ἠβουλόμην ante Isocratem quidem et Demosthenem, qui pro arbitrio hac vel illa utebantur, ingruisse ex Voemelio (l. l. pg. 81) discimus. Idem tragicos illis abstinuisse monet. Apud Lysiam autem nusquam ἤμελλον bis ἠβουλόμην sexies ἠδυνάμην reperitur (Pertz. l. l. pg. 6). Denique apud Thucydidem innumeris locis ἐβουλ. reperiri docet Poppo (I pg. 226), bis ἠβουλ., quae emendanda esse recte censet. Thucydidi concinit Antipho, qui excepto illo loco, qui controversiam excitat, constanter forma ἐβουλ. usus est. I, 13 ἐβουλήθησαν. V, 1 ἐβουλόμην. V, 50, 61, 62 ἐβούλετο. VI, 14 ἐβουλόμην. VI, 44 ἐβούλοντο bis. Eundem cum etiam formas ἤμελλον et ἠδυνάμην prorsus sprevisse constet, videmus incaute Blassium et Jernstedtium lectionem illam codicis N recepisse.

Denique mihi eadem neglegentia librarius N. V, 88 ἕνεκα commutasse forma εἵνεκα videtur. Quamquam enim etiam Weckleinus (l. l. pg. 39) εἵνεκα non plane alienum esse a communi Atticorum sermone censet, quamquam etiam codex Σ Demosthenis nonnunquam εἵνεκα proponit, tamen quas leges Antipho secutus sit, optime collato Thucydide cognosci potest, in quo ἕνεκα constanter legi testis est Poppo (pg. 212). Thucydidi autem consentit Antipho triginta fere exemplis. Quis igitur credere poterit eum bis III, β, 10 et

V, 88 εἵνεκα posuisse. At omnino non opus est his ambagibus. Neque enim quisquam ignorat Athenienses ante Euclidis consulatum ει littera ε expressisse. Quare quoquo modo Antipho pronuntiavit ἕνεκα, scripsit certissime ἕνεκα perinde ut Thucydides.

Ex his quae de formis verborum recte scribendis disputavi, assequimur, ut judicium nostrum de codice A jam satis firmiter fundatum ordinibus verborum perlustratis etiam magis stabiliatur. Nam quamquam ne hunc quidem omni errore vacare videbamus, tamen multo major est numerus locorum, ubi is fide vincit aemulum.

Tandem possumus aggredi ad difficillimam totius disputationis partem, qua demonstrandum est, librarium N infregisse archetypi lectiones, ita ut sententiam ipsam immutaret. sive incuriae indulgentem sive audaci interpolandi libidine incitatum. Cujus generis quod nobis satis parva locorum copia suppetit, ubi graviores dissensiones intercedunt codicibus nostris, haud dubie cognatione tam arcta ortum est, qua cohibentur. Ut enim in fratrum vultibus, quamvis indole diversi sint, tamen saepe similitudo quaedam ductuum comparere solet, ita codices nostri, quamvis diversi fuerint librarii, tamen paterni oris lineas servaverunt plerumque levibus rebus dissentientes.

At tamen librarios illos praeditos fuisse eo ingenio et natura, quali fuisse jam luculenter apparuit, etiam his probatur. Similibus enim lectionibus comparatis facile cognoscitur librarium N inclinatione quadam animi eo ductum esse, ut traditam scripturam corri-

peret. Neque enim vereor ne quis recuset concedere eum haec Din. I. 34 τῶν παρεστηκότων κακῶν pro τῶν κ. τῶν π. et Antiph. II, β, 3 τὴν νῦν ὑποψίαν pro τὴν ὑποψίαν τὴν νῦν mero properandi studio motum scripsisse, taedioque describendi impulsum ut breviorem lectionem praeferret longiori. Quae exempla quamquam multis possunt augeri, tamen inde ad meam quaestionem disceptandam haud ita multum subsidii capi potest, quoniam nec ullus codex hujus generis vitiorum expers est, et quae neglegentia peccata sunt, suapte natura veniam quandam extorquent.

Nec vero eodem jure librarius N interpolationis culpa absolvi potest, ubi in contrarium vitium incidit. Reperiuntur enim non paucae lectiones pleniores in hoc codice, quarum nonnullis aliqua veritatis species obfusa est. At ad amussim judicantem non poterit fugere, ad hunc finem completas esse lectiones, ut quae notio etiam verbis simplicibus subesset, paulo clarior et dilucidior prodiret. Satis perspicuum hujus modi exemplum Antiph. II, γ, 2 prostat, ubi in A legitur εἴτε γὰρ προςιόντας τινὰς ἰδόντες . . ᾤχοντο, in N προιδόντες. Nam siqui conspiciuntur appropinquantes, omnino fieri non potest, quin conspiciantur, antequam accesserint. Quod igitur verbum simplex ἰδόντες non minus nobis praestat quam compositum, hoc ut facilius cognosceretur et magis in promptu esset, efficere cum studuit librarius N, languido et supervacuo additamento Antiphontem oneravit.

Plane eadem ratione natum est in N Antiph. III, γ, 9 ἃ ὁ νόμος ἀποδίδωσί μοι μὴ τυχὼν παρ' ὑμῶν (A:

διδῶσι). Mehercle quis unquam capitis accusatus tam audaci fronte fuit, ut judices allocutus decantaret „Si a vobis non impetravero, quae lex mihi ut debita reddit“? Ut enim praeteream legem nullius unquam debitorem fuisse, nonne reus his verbis judices acerrime laesisset, non suam ipsius messem inepte ussisset? Quanto magis convenit reo Areopagitis supplicanti modeste et simpliciter haec loqui „si a vobis non impetravero, quae ipsa legis severitas mihi concedit“. Insulse igitur librarius N exaggeravit falso tradita complendi studio latus.

Etiam gravius mihi deliquisse videtur, cum Antiph. II, β, 9 simplici verbo ἐστερούμην substituit compositum ἀπεστερούμην, Nam verbum illud simplex, quid aliud est, quam antiqui sermonis reliquiae? Apud Thucydidem certe longe praepollet usus verbi simplicis (cf. Betant. lex. Thuc. II, pg. 420). Atque ne ab Antiphontis quidem consuetudine abhorruisse signo sunt haec IV, α, 3 στερόμενος. IV, δ, 1 στερηθεῖσιν. V, 13 στερέσθαι. Nec alienum erit, monere Lobeckium ad Phryn. pg. 250 docuisse, simplex verbum ὀρθοῦν a tragicis, Thucydide, Antiphonte frequentari, composita a ceteris. Quid igitur aliud nostro loco molitus est librarius N, nisi ut antiquitatis colorem abstergeret Antiphonti? Ob eandem causam mihi non nisi fucata veritate videtur splendere lectio codicis N Antiph. V, 48 ἀποθνήσκοντι, vera autem esse codicis A θνήσκουσι, cujus verbi ex Thucydide exempla prompsit Betantius (l. l. I, pg. 468). Aliquantum autem adjumenti etiam inde huic sententiae accrescit, quod Antiph. V, 57 codd.

consentiunt in lectione *ἔκτεινα*. Quod quamquam singulare est in Antiphonte, tamen, qui consideraverit, quam frequens verbum simplex apud Thucydidem sit (Betant. II, 83), non vereor, ne praepropere adsentiatur Blassio, qui obsecutus Weidnero verbum compositum Antiphonti obtrusit.

Deinde fateor mihi admodum suspectam esse hanc lectionem codicis N Antiph. V, 92 *εἴ τις ὧν βουλὴν ποιοῖτο, ταῦτα παραχρῆμα ἐξεργάζοιτο* (A *ἐργάζοιτο*). Quis enim meditatus sibi opposita esse „rei faciendae inire consilium“ et „facere rem“, quis, quamquam, ut sententia perpicua sit, etiam simplex illa locutio sufficit, non compleret tacite ita oppositionem, ut altera pars esset „perficere rem“? Nonne igitur librarius N Antiphonti verbum compositum impegisse videtur, ut oppositionis vim exacueret? Equidem puto vix nos hanc suspicionem e pectore excutere posse.

Sed ne in Dinarcho quidem desunt exempla, quae quantopere explendi illa libidine librarius N extumuerit, ante oculos ponant. Din. I, 104 *οὐ τετόλμηκε* (*ν αὐτοῖς* A) *τούτοις ἐνδεῖξαι τὸ πρόσωπον* N, *δεῖξαι* A. Ubi *δεῖξαι* et *ἐνδεῖξαι*, quorum utrumque per se ferri potest, ita differunt, ut *δεῖξαι* sit simpliciter „ostendere“, *ἐνδεῖξαι* vero „ostentare cum gloriatione quadam“. Cum autem orator nihil aliud voluerit significare nisi hoc *οὐ τετόλμηκεν εἰςελθεῖν εἰς τὸ δικαστήριον*, ineptum est *ἐνδεῖξαι*. Nam qui timet non gloriatur. Recte igitur editorum nemo sequitur codicem N. Contra omnes assumpserunt ex eo Din. I, 94 *ἐῶ γὰρ τἆλλα ὅσα μεταβαλλόμενος ἐν τοῖς πράγμασι . . διατετέλεκε*, quamquam,

quod A proponit τετέλεκε, haud dubie genuinum est. Accusativus enim τἆλλα ὅσα suspensus a verbo διατελεῖν laedit Dinarchi morem, qui nusquam nisi intransitivo sensu frequentat verbum illud, ut significet „perseverare in aliqua re“. cf. I, 100. II, 12. II, 19. Atque etiam valde dubium est, num omnino διατελεῖν connexum cum accusativo apud quemquam oratorum atticorum ferri possit, qui ἐπιτελεῖν hac significatione usurpant. Locis enim qui in Stephani thesauro (s. v.) prompti sunt, perlustratis facile cognoscimus, verbo διατελεῖν nōn subnecti accusativum, nisi qui pertinet ad tempus ut βίον διατελεῖν aut ad loci spatium ut ὁδὸν διατελεῖν. Quae restant Eurip. Heracl. 434 (Kirchh.) διατελεῖν χάριν et Xen. Hell. VII, 3, 4 διατελέσαι βούλομαι τὰ περὶ Εὔφρονος neminem movebunt. Neque enim aut poeta aut Xenopho normam suggerit, qua de oratore attico judicandum sit. Atque etiam adeo apud Atticos consuetudo verbi διατελεῖν intransitivo sensu ponendi vigebat, ut adjectivum sine participio ὤν posset adjungi (cf. Schaeferum ad Dionys. de comp. verb. pg. 200). Quam ob rem admodum veri simile est, etiam hoc loco librarium N subdidisse verbum compositum in locum simplicis inepte tradita complentem.

Nec vero contentus erat singula verba pleniora emisisse, sed etiam ausus est particulas inspergere, ut sententia integrior exiret. Ut Din. I, 60 maluit reponere δεῖξον γὰρ δὴ τοῖς δικασταῖς, σὺ Δημόσθενες, ubi δὴ om. A. Quae lectiones quanto inter se distent, satis compertum est. Addito enim δή vis et acerbitas,

quae simplici imperativo subest aliquanto deminuitur, ut δεῖξον δή significet „ostendas quaeso". Quare si orator judices alloquitur I, 75 θεωρήσατε δή aut scribam qui leges subministrabat I, 82 et 83 λέγε δή, particula optimo jure sede sua fruitur. Nam illis compellatis paene necessarium erat asperitatem nudi imperativi paulum delenire.

Nostro vero loco, ubi maxima indignatione accusatorem invehi in reum ipsa allocutio σὺ Δημόσθενες indicio est, illa ipsa acerbitas nudi imperativi aptissima est. Ex suo igitur inepte librarius N intexuit particulam δή, quam saepius imperativo subjunctam se offendisse memoria teneret.

Dequa re eo minus ambigi potest, quod hanc particulam satis amasse videtur, si quidem eandem Antiph. III, δ, 9 inspersit. Ubi lectionem codicis A κεκολασμένου δὲ τοῦ ἀποκτείναντος οὐκ ἀτιμώρητος ὁ φόνος ἐστίν. ἔχοντος γε τὴν δίκην τοῦ φονέως etc. labem contraxisse hoc quidem certum est, cum sententiae prorsus connexu careant. Non minus certum autem illud est legendum esse ἔχοντος δὲ etc. Nam ubicunque Antipho transitum ad ea quae succedunt parat aut iisdem verbis repetitis aut paulum mutatis, particula δέ utitur. II, α, 3 ἡ ποινὴ εἰς ἡμᾶς . . . ἀναχωρεῖ. ἅπαντος δὲ τοῦ μιάσματος εἰς ἡμᾶς ἀναχωροῦντος. III, β, 4/5 ὑπελθὼν ἐβλήθη . . . διὰ δὲ τὴν ὑποδρομήν βληθέντος, quae sine jure transposuisse Blassium jam inde cognoscitur. IV, δ, 3, τεκμήριον γίγνονται. κοινοῦ δὲ τοῦ τεκμηρίου ἡμῖν ὄντος. ibid. τοῦτόν φασιν ἄρξαι τῆς πληγῆς. ἄρξαντος δὲ τούτου. V, 44 καὶ ἀπέθανε μὲν

ὁ ἀνὴρ . . . ὑπὸ δὲ ἑνὸς ἀνδρὸς ἀποθνήσκων. I, 10 βάσανον ἠθέλησα ποιήσασθαι . ., βασανιστὰς δέ etc. (N falso τε). His exemplis consuetudo ista Antiphontis tam clare illustratur, ut nemo possit dubitare, quin nostro loco verum sit ἔχοντος δὲ etc. Jam apparet, librarium N, cum sagaciter persensisset, sententias omni vinculo carere, ut colligaret, particulam δή immiscuisse. — Non minus impudenter violavit Antiphonteum morem, cum Antiph. II, δ, 9 τοῖς μὲν γὰρ ἀτυχοῦσι . ., τοῖς δ'εὐτυχοῦσι, V, 3 πολλοὶ μὲν γὰρ . ., πολλοὶ δέ reposuit, augens utrumque locum particula μέν, quam om. A. Nam persaepe in Antiphonte duorum sententiae membrorum, quorum posterius particula δὲ auctum infertur, prius tamen carere particula μέν, omnibus exemplis coacervatis ostendit H. Schäferus (de partic. Antiph. pg. 26), omnemque materiem ita praeripuit, ut eum laudasse satis sit. Quam proclivis autem quivis fuerit, similibus locis inspergere μέν, luce clarius est. Quare certum mihi viditur esse, librarium N duobus illis locis obscurasse Antiphontis morem. — Eodem impulsu incitatus Antiph. II, γ, 2 οἱ ἐντυχόντες . . . ἤγγειλαν ἂν ἡμῖν καὶ οὐχ οὗτος ἂν τὴν αἰτίαν εἶχε legere maluit, repetita particula ἄν, qua prius tantum verbum definitum est in A. Quamquam enim etiam εἶχεν hypothetice dictum esse in aperto est, tamen particula minime requiretur. Immo vim particulae ἄν a priore membro ad posteriora deflectendi consuetudinem minime alienam fuisse a sermone graeco docte explanaverunt Schoemannus (ad Isae. VII, 33 pg. 371) et Frankius (acta soc. graec. II, pg. 35). Ex Antiphonte

autem mihi in promptu sunt VI, 28 *αὐτοῖς ἂν τούτοις ἰσχυροτάτοις ἐχρῶντο καὶ πίςτιν ταύτην σαφεστάτην ἀπέφαινον.* cf. V, 38. Quod genus dicendi paulo reconditius cum librarius N ignoraret, facere non potuit, quin iteraret *ἂν*, ut etiam minus attento lectori promptiora redderet, quae totius loci colore adumbrata erant.

In transcursu mihi liceat nunc sententiam proferre de loco, qui contraria depravatione videtur laborare, quam quem modo tractavimus. Legimus enim Antiph. V, 2 *οὗ μὲν γάρ με ἔδει κακοπαθεῖν τῷ σώματι . .*, *ἐνταυθοῖ οὐδέν με ὠφέλησεν ἡ ἐμπειρία.* His verbis cum reus alludat ad ea, quae postea conqueritur (§ 17), se injustissime in carcerem conjectum esse, non possumus ea aliter interpretari quam hoc modo „ubi in carcere jacebam, me non adjuvabat cognitio causarum". Quae ita dicta sunt, quasi coram judicibus frueretur illa cognitione. At modo lamentatus est, se omni tractandarum causarum scientia destitutum esse (*τοῦ δὲ ἐνδεής εἰμι* etc.). Quare cum sententiae apertissime sibi repugnarent, recte jam Sauppius (quaest. Antiph. pg. 16) traditam lectionem non integram esse perspexit. Quae medela autem vulneri quaerenda sit, non obscurum erit ei, qui apud animum proposuerit, hanc esse sententiarum gradationem „ita obruor fortunae adversae undis ut vix emergere possim. Quibus enim rebus ea depelli possunt dicendi facultate et causarum peritia ego plane careo. Atque etiam in carcere omnino non potuisset auxilium afferre mihi vinculis compresso causarum peritia etiamsi habuissem". Unde luculenter apparet re-

ponendum esse ἐνταυϑοῖ οὐδέν με ὠφέλησεν ἂν ἡ ἐμπειρία.

Denique ut redeam, unde discessi, inepte complevit librarius N Din. I, 107 tradita hoc modo πολλὴν ἀσφάλειαν ἐν τῇ πόλει καταστήσει, ubi rectissime A omittit ἐν. Spectat enim Dinarchus ad pericula, quae Atheniensibus a Macedonibus imminerent, si, qui ab Harpalo corrupti erant, absoluti essent in judicio (cf. I, 22). Quare ἐν τῇ πόλει absurdum est, siquidem belli pericula externa sunt.

Ex illis locis igitur, quos pleniores emisit librarius N, ut comprehendam quae modo tractavi, alios aperte vidimus adversari mori oratorum nostrorum, ut omnis defensio concideret, alios ita comparatos esse, ut per se utriusque codicis lectio tolerari posset. Cum autem in illis non contigerit librario isti, ut occultaret, quem ad finem lectiones suis additamentis ditaret, etiam hi non leviter attenuant ejus auctoritatem.

Nunc agendum videtur esse de nonnullis singulis locis ubi facere non possum, quin palmam vindicem codici Crippsiano.

Din. I, 34 (καὶ πότ' ἂν οἴεσϑε) συστῆσαι κατασκευὴν ἑτέραν οἵα ἔναγχος (codd. ἐπ' Αἰγός) ἐγένετο; A, παρασκευήν N. Inter quas lectiones quantum intersit, optime discimus ex hac Voemelii adnotatione ad Dem. de Chers. 19 pg. 567 „παρασκευή i. q. apparatus, κατασκευή i. q. instructio. παρασκευή, si quid comparando affertur, v. c. materies ad κατασκευὴν aedificii. κατασκευή, si comparata ad consilium ornandi, agendi, exstruendi .... accommodantur“. Cum quo consentit Schnei-

derus ad Xen. Cyr. V, 5, 2 (pg. 393) „κατασκευή semper Xenophonti est instrumentum et ornamentum, παρασκευή apparatus inprimis bellicus". Nostro autem loco quamvis lacunosus sit et omni genere corruptionis tactus, tamen hanc fere sententiam vindicandem esse certum est „et quando putatis nobis posse conflari alterum tam opportunum temporum statum, quam qui modo accidit". Quare quid παρασκευή illo loco sibi velit, nemo poterit explicare. At κατασκευή i. e. „quo quid instructum est" optime statum temporum significare potest. Nam tempora quasi ita instructa erant, ut Athenienses in spem felicis eventus adduci possent.

Din. I, 70 πλείω ἢ πεντήκοντα A, πλεῖον ἤ N. Codicis N lectionem a more Atticorum plane abhorrere satis exploratum est. Benselerus enim ad Isocr. Areop. (1832 pg. 238) formam πλέον ubique Isocrati restituit, suasitque ut ceteris quoque oratoribus restitueretur. Quam legem veram esse exemplis Lysiae congestis Pertzius (l. l. cp. II, pg. 8—10) confirmavit. Sed ne lectio quidem codicis A extra controversiam versari omnibus videbatur. Nam πλέον et ἔλαττον extra constructionem cum numeralibus componi observat Lobeckius (ad Phryn. pg. 410). Nec aliter Pertzius (l. l. pg. 9) et ex Moeridis testimonio (πλεῖν ἢ μύριοι Ἀττικοί, πλέονες ἢ μύριοι Ἕλληνες) et ex Lysiae exemplis recte videtur conclusisse, Atticos in his adverbium posuisse, ceteros Graecos adjectivum. Nam quod Schwidopius (observ. in Xenoph. Hell. ind. schol. Regimont. 1839 pg. 19) ex Xenophonte quinque locos profert, ubi prostat πλείους ἤ (Hell. VI, 1, 19. VI, 1, 8. An. IV,

8, 27. V, 2, 4. VI, 2, 16), ita non legem antiquat, ut Xenophontem etiam in hac re ad ceterorum Graecorum morem declinasse appareat. Illud vero Pertzius non recte conclusit, *πλείω ἤ* Atticis non usitatum fuisse. Nam optime Stallbaumius ad hoc Platonis exemplum illustrandum *ἡμέρας πλείω ἢ τρεῖς* (Menex. 235 B) adnotat, etiam *πλείω* in his adverbialiter poni. Ob eandem autem causam ne Cobeto quidem adsentiri possumus, qui (Var. lect. pg. 237) nihil nisi *πλεῖν ἤ* atticum esse censet. Quare nihil est, cur nostro loco a lectione codicis A recedamus. — Antiph. I, 13 *ἀλλ' οὐχ ὑμεῖς γε, ὦ ἄνδρες, ἔγωγ' εὖ οἶδα, ἀλλὰ σαφὲς ποιήσετε* A, *γε* om. N. Hoc loco Jernstedtius occaecatus jurat in verba ejus codicis, quem ad caelum extollit, nullo alio argumento prolato nisi hoc, nullam particulam saepius inculcari quam *γε*. At hac ratione nihil proficimus. Multo satius fuisset Hartungium consulere, qui (de partic. II pg. 403) exponit, Atticos admodum amare particulas *ἀλλά — γε* colligare interposito quod gravatur verbo. Ipse autem Antipho locutus est V, 86 hoc modo *μὴ ὑμεῖς γε, ὦ ἄνδρες. ἀλλὰ δότε* etc. Quod exemplum tam gemellum est nostro, ut cuivis omnes dubitationes e pectore evellere posse mihi videatur.

II, *γ*, 8, *οὐ γὰρ ἐπὶ μαρτύρων ἀλλὰ κρυπτόμενα πράσσεται ταῦτα* A, *τὰ τοιαῦτα* N. Quis, qui haec obiter perlegerit, non retineretur in pronomine *ταῦτα*? Nam cum ipsum praesens *πράσσεται* indicio esset, verba *οὐ γὰρ* etc. generalem sententiam continere, in antecedentibus autem de ipsius rei caede ageretur, fa-

cile cui *ταῦτα* ineptum potuit videri, quippe quod ad caedem a reo perpetratam solam spectare non posset. Nos vero conferamus, quae Antipho II, *α*, 5 scripsit. Ubi postquam exposuit, eum maxime proclivem esse ad inimicum trucidandum, qui ab isto multa mala perpessus majora ne pateretur timeret, pergit hoc modo *ἔστι δ'ὁ διωκόμενος οὗτος*. Rettulit igitur pronomen *οὗτος* ad sententiam generalem. Plane idem, cum nostro loco expediendo opus sit, videmus librarium N inepte faciliorem lectionem Antiphonti supposuisse.

Cum autem modo agam de pronominibus *οὗτος* et *τοιοῦτος* confusis, facere non possum, quin conjecturam promam de Dinarchi loco, quem simili depravatione contaminatum esse suspicor. Leguntur enim I, 81 haec *τοιοῦτος ὑμῖν ὁ σύμβουλος, καὶ δύο ταύτας μόνας ἐν τῷ βίῳ Δημοσθένης πεποίηται ἀποδημίας*. Ad quae rectissime Maetznerus (pg. 137) adnotavit, et aperte oratorem mentiri, cum persaepe Demosthenes legatus fuisset, et sibi ipsi mirum in modum repugnare (cf. I, 12). Nec vero quemquam puto ei adsensurum esse suadenti, ut verba *ἐν τῷ βίῳ* resecentur. Nam vorsura solveremus aes alienum et haesitaremus in eodem luto. Nec minus abjicienda est Frankii sententia (Nov. diurn. litt. Jenens. 1842 pg. 1031) opinantis Dinarchum potuisse tam impudenter mentiri. Nam cum quivis statim fraudem detexisset, orator ipse se risui objecisset. Quare supicor Dinarchum scripsisse *καὶ δύο τοιαύτας μόνος ἐν τῷ βίῳ Δημοσθένης πεποίηται ἀποδημίας*. „Tota vita nemo nisi Demosthenes perfecit, ut duabus talibus legationibus interesset.“ Ubi animadvertendum est, *ἐν-*

τῷ βίῳ ad rem amplificandam adjectum esse, quo acrius aculeis irrisionis Demosthenes pungeretur.

Antiph. V, 14 δεῖ καταμανθάνειν . . τοὺς τοῦ κατηγόρου λόγους, εἰ ὀρθῶς . . ὑμᾶς διδάξουσι τὸ πρᾶγμα A, διδάξει N. Hoc loco praemonendum est, nihil indagari posse, cur τῶν κατηγόρων melius sit quam numerus singularis, qui fuit in archetypo. Ut enim prateream paulo ante legi τῶν τοῦ κατηγόρου λόγων, ubicunque correctus a m. 1. A conspirat cum N, certissime correctura ex archetypo hausta est. Hunc ipsum autem numerum singularem librario isti doloso ansam dedisse, ut etiam verbum διδάξει singulari numero inferret, hoc minime puto latere posse. Videtur enim iste prorsus oblitus esse, non minus bene dici posse „orationes accusatoris docent vos" quam „accusator docet vos". Quid autem certius est, quam διδάσκουσι quod Reiskius restituit, ad λόγους referendum esse? Nam hoc loco minus de accusatoris persona quam de ejus fallacibus orationibus agi, ipsa oppositio indicat.

V, 26 ἐγγύς που τοῦ λιμένος εἰκὸς ἦν τοῦτο γίγνεσθαι A, αὐτό N. Pronomen τοῦτο sine ulla gravitate dictum esse, ut non longe absit a vi latini „id", hoc quidem etiam dormitanti apparebit. Illud tantum in controversiam vocatur, num pronomen οὗτος tanta levitate possit esse. Neque enim solum librarius N, sed etiam nostrae aetatis viri docti haeserunt in similibus. Ut permulti Lycurg. § 3 (ὠφέλιμόν ἐστι τῇ πόλει εἶναι τοὺς κρίνοντας ἐν ταύτῃ) proni erant eo, ut ἐν αὐτῇ rescriberent. At optime ibi Maetznerus (pg. 77)

et quos laudat ostenderunt, pronomina et *οὗτος* et *ἐκεῖνος* haud raro obvia esse, ubi expectasses pronomen *αὐτός*. Nec spernenda sunt, quae de hoc dicendi genere Schaeferus ad Dem. de cor. 48 (app. crit. II pg. 215) suggerit, quem laudat Schoemannus ad Isae. pg. 229. Ut igitur nostri critici Lycurgum ita saeculi XIV criticus infeliciter conjectando turpavit Antiphontem.

Restat, ut illos locos in judicium vocem, ubi codices nostri in articulo aut addendo aut omittendo inter se dissident. Cum enim aliquantum interesset inter eum articuli usum quem antiqui scriptores et quem librarii codicum sequi solebant (cf. G. Hermannum ad Eur. Iph. Taur. pg. XV), factum est, ut nullum fere dissensionum genus crebrius sit in codicibus quam hoc. Sed de re tam impedita vix poterimus dubitationem in singulis tollere, nisi accurate universam tractaverimus. Initium igitur capiamus ab articulo, qui nominibus propriis adnectitur, tractando.

Nomina gentium apud Dinarchum et Antiphontem ubique nuda sunt articulo. In qua consuetudine cum mirum in modum congruant cum Lysia et Isocrate (cf. Pertzium l. l. cp. I. Bremi Isocr. pg. 107), propter hunc ipsum consensum perpaucis locis, qui relinquntur repugnantes, certissima medicina admoveri potest. Accedamus autem ad Dinarchi exempla promenda. Lacedaemonii: *Λακεδαιμόνιοι* I, 34. *Λακεδαιμονίων* 25, 38, 39, 73, 75 bis. *Λακεδαιμονίους* I, 14. III, 17. Aliter se habet *οἱ μὲν πρότερον ὄντες λαμπροὶ . . Λακεδαμόνιοι* I, 76. Denique I, 39 *ὁ Λακεδαιμονίων φρούραρχος* N, *τῶν Λ.* A falso. Athenienses: *Ἀθηναίων*

I, 25 bis. I, 44. III, 1. III, 4. *Ἀθηναίους* I, 39, 44. Aliter se habent *τῶν ἄλλων Ἀθ.* I, 16. II, 18. *τοῖς ἄλλοις Ἀθ.* I, 69. Thebani: *Θηβαῖοι* I, 19, 39. *Θηβαίων* I, 18 bis, 20, 21, 24 bis, 26, 27, 72. *Θηβαίους* I, 10, 12. Quod legimus I, 73 *ἡ τῶν Θηβαίων πόλις* corrigendum est cf. I, 18, 24, 72. Praeterea articulus exturbandus ex his *τοῖς Θηβαίοις* I, 20, 22. Arcades: *Ἀρκάδων* I, 18, 21. *Ἀρκάδας* I, 73. Ejiciendus est articulus ex his I, 19 *τοῖς Ἀρκάσιν*, I, 20 *τῶν Ἀρκάδων*. Persae, Medi, alii: *Περσῶν* I, 10, 18, 32. *Μηδῶν* II, 24, 25 — *παρὰ Χίων καὶ Ῥοδίων* I, 14. III, 17. — *ἐν ταῖς Ὀλυνθίων συμφοραῖς* I, 26. — *ἐν Ἰνδοῖς* I, 34. — *Ἀχαιοὶ δὲ καὶ Ἠλεῖοι* I, 34. Contra Dinarchus semper praefigit articulum nomini *Ἑλλήνων* eidem mori obsecutus quam Isocrates et Lysias (cf. Pertz. l. l.). Praeterea Macedonum nomini ubique certiculus antepositus est: *τῶν Μακεδόνων* I, 19. *τοὺς Μ.* I, 28. Lex illa, quam supra indicavi, his exemplis tam firmiter stabilitur, ut nemini dubitatio remanere possit, praesertim consentientibus Lysia et Isocrate. Quare quo jure in illis Benselerus Pertziusque perpaucos locos falsos accommodaverunt normae, eodem jure me quinque locos emendasse et Din. I, 39 codici N tutorem fuisse arbitror.

Plane eidem consuetudini, cui Dinarchus, etiam Antipho se addixit, quamquam satis pauca apud eum exempla reperiuntur. Nam V, 20 *οἱ Θρᾷκες οἱ λυσύμενοι* alia ratione explicandum est, quandoquidem von Thracum gens sed servi quidam designantur. Quod autem legitur V, 76 *τὴν ἀπόστασιν τῶν Μυτιληναίων* jam

Blassius rectissime emendavit, ut cetera Antiphontis exempla corradere supersedere possim.

Etiam nomina urbium et terrarum ut apud Lysiam Isocratemque ita apud Dinarchum carent semper articulo. Excepta sunt, quod aliter fieri non potuit, ἡ Ἑλλάς, quoniam subauditur γῆ. Pertinent huc etiam I, 89 τὴν Ἀττικήν et 38 τῆς Καδμείας, ubi ἀκροπόλεως subintellegitur, et 44 τῆς δ' Εὐβοίας ὅλης, ubi articulus propter adjectivum requiritur.

Deinde bis ponit Dinarchus τὴν Μουνυχίαν III, 1, 10, maximeque varius est in voci Πειραιεύς articulo praefigendo, εἰς Πειραιᾶ I, 36. εἰς τὸν Π. III, 1. ἐν Π. I, 69. Quae variatio mirum in modum ipsi communis est cum Lysia et Antiphonte (I, 16 ἐν Πειραιεῖ. 17 ἐν τῷ Π. 16 εἰς τὸν Π.).

Cetera exempla nominum urbium terrarumque, quae apud Dinarchum articulo destituta sunt, coacervanda esse non arbitror, cum ad meam quaestionem non pertineant. Illud autem reticeri non potest Din. I, 43 falso conjectatum esse τοὺς ἐκ τοῦ Πόντου τυράννους. Scripsit enim Dinarchus ἐκ Πόντου secundum illum morem. Cui lectioni etiam illud suffragatur, quod multo propius accedit ad ductus in codicibus exaratos ἐκ τούτων.

Non minus superfluum est, Antiphontis hujus generis exempla accumulare, qui ita sibi non constat, ut dubium sit, utrum ipsi an librariis libido ista inroganda sit. Hoc tantum quod signo sit quantopere variet, memorem, eum dicere V, 78 ἐν Αἴνῳ, contra ubique εἰς τὴν Αἶνον V, 20, 22, 25, 29, 52.

Quas rationes in hominum nominibus articulo affigendo et Dinarchus et Antipho secuti sint, satis implicata quaestio est, cum ne ceteri quidem oratores in his sibi constent. Apud Dinarchum vero res ita se habet, ut centies vicies bis articulus omittatur, ter ponatur: I, 58 *ὡς τὸν Νικοφάνην*. 59 *τὸν Πολύευκτον*. 30 *τὸν Ἀρίσταρχον*. Nam in his II, 8 *Κυδιμάχου τοῦ πατρὸς τοῦ Ἀριστογείτονος* articulus per se necessarius est, ut sententia dilucida sit. Minime autem in his illa lex observatur, ut primo loco nomen destituatur articulo deinde ornetur. Quae cum ita sint, fateor insedisse animo meo suspicionem, articulum tribus illis locis librariorum culpa irrepsisse. Suspicio autem illa etiam ob eam rem mihi videbatur veritati propinqua esse, quod Dinarchus ad eandem normam direxit etiam deorum nomina. Ubicunque enim nomen dei appositione aliqua auctum est, articulus praemittitur. I, 64 *τὴν Ἀθηνᾶν τὴν Πολιάδα*. I, 12 *τῆς Ἀρτέμιδος τῆς Βραυρωνίας*. I, 78 *τοῦ Διὸς τοῦ Δωδωναίου*. III, 15 *νὴ τὸν Δία τὸν Σωτῆρα*. Contra II, 8 *νὴ Δία*. I, 71 *μὴ μὰ Δία*. I, 40 *μὰ Δί' οὐ*. I, 43 *πρὸς Διός*. I, 87 *Ποσειδῶν*, ibid. *πρὸς Ἄρη*, ibid. *ὑπὲρ Ἀλιρροθίου*. Praeterea legimus I, 45 *πρὸς τῆς Ἀθηνᾶς*, quod etiam per se consentaneum est, quod haec dea ipsius urbis tutrix erat. Hoc autem II, 3 *μὰ τὸν Ἡρακλέα* ponere maluit Dinarchus, ne vitiosum hiatum admittere cogeretur. Excepta igitur Minerva, ubi adjecti articuli causa satis aperta est, exceptisque illis deorum nominibus, quae appositione ornata sunt, dilucide cognoscimus, Dinarchum etiam haec articulo privasse.

Quare eo magis proni erimus, ubi codices discrepant illi fidem adrogare, qui omittit articulum. I, 58 *Πολυεύκτου* A, *τοῦ Π.* N. I, 111 *τὸ Δημοσθένει* A, *τῷ Δ.* N. II, 8 *Κυδιμάχου* N, *τοῦ Κ.* A.

Etiam certius judicari potest de Antiphontis exemplis quae huc spectant. In articulo enim hominum nominibus praeponendo Antiphontis orationes, id quod animadversione satis dignum est, inter se longe discedunt, si quidem codicibus fides est. Etenim in prima Antipho nomen Philonei — nam praeterea nulla occurrunt — excepto primo loco (I, 14) ubique articulo ornat. *ὁ Φιλόνεως* I, 14, 20. *τοῦ Φ.* 15, 17, 19 bis. *τῷ Φ.* 16 bis, 19. *τὸν Φ.* 15. In quinta vero et sexta ubique nomina hominum articulo carere voluit — sunt autem viginti quinque fere exempla —, sive semel occurrunt sive saepius. Nam quod repugnat V, 21 *τὸν Ἡρῴδην* jam diu ob aliam causam exulare jussum est. Nec opponi posse quod prostat V, 24 *αὐτῷ τῷ Ἡρῴδῃ* manibus tenetur. Optimo autem jure fruitur articulus hospitio I, 20 (*ὁ δ' Ἡρῴδης*), ubi respicit ad notionem praecedentibus verbis (*ὅν φασιν ὑπ' ἐμοῦ ἀποθανεῖν*) comprehensam, de quo genere exponit G. Hermannus (l. l. pg. XVI). Contra quid articulus sibi velit in his V, 62 *ἐβούλετο αὐτὸν ὁ Λυκῖνος τεθνάναι*, neminem existimo expedire posse. cf. 53 *Λυκίνῳ.* 60 *ὑπὲρ Λυκίνου.* 63 *τῆς Λυκίνου.* ibid. *Λυκίνῳ.* Quae cum ita sint, equidem non vereor, ne quem ludificetur librarius N lectione *ἐγὼ καὶ ὁ Ἡρῴδης* V, 29, pro qua recte codex A *ἐγὼ καὶ Ἡρῴδης* servavit.

Multo difficilius est, ubi codices nostri in nominum

appellativorum articulo ponendo dissentiunt, certa ratione discernere, utri calculus adjiciendus sit. Nam in hac quaestione, cum destituti simus legis cujusdam ineluctabili necessitate, fieri non potest, ut nonnunquam dubitatio non prorsus eradicari possit. Cum autem argumenta ex ipsa cujusque loci natura haurienda sint, ordine singulos examinemus.

Din. I, 79 *ἐπὶ τὰ ἔργα* A, *ἐπὶ ἔργα* N. Ab hoc loco articulus nullo modo abesse potest, si quidem significantur non quaelibet opera sed opera rustica.

I, 101 *τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως* A, *ἐν τῷ πρ.* N. Satis notum est, Atticum sermonem voluisse aut dici *ἡ ἐν πρυτανείῳ σίτησις* aut *σίτησις ἐν πρυτανείῳ*. Plat. Apol. 37 *A τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως*. Dem. 20, 130 *καὶ σιτήσεως ἐν πρυτανείῳ*. Nec vero quadrat in nostrum locum hoc Aeschinis exemplum III, 196 *τῶν τὰς σιτήσεις τινὲς ηὑρημένων ἐν τῷ πρυτανείῳ* verbis aliter digestis. Idem Aesch. III, 178 *καὶ σιτήσεις ἐν πρυτανείῳ*. Hanc dicendi consuetudinem ne a Dinarcho quidem neglectam esse videmus hoc loco comparato I, 42 *τὴν ἐν πρυτανείῳ σίτησιν*. Depravavit igitur librarius N acceptam lectionem insperso articulo.

II, 10 *τοὺς ἐκ δεσμωτηρίου κλέπτοντες* A, *ἐκ τοῦ* N. Atheniensibus *τὸ δεσμωτήριον* est carcer ille publicus, qui undecimvirorum curae commissus erat, ita ut II, 2 et 19 *ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ* possimus interpretari „in carcere nostro“. At hoc loco, cum ipsa irrisionis gravitas poscat, ut non Atheniensium carcer designetur, sed quivis carcer ut in sententia generali, articulus plane ineptus est.

II, 22 *μὴ γὰρ ἰδίους ἀγῶνας τούτους ὑπολάβητε εἶναι* A, *τοὺς ἀγῶνας τούτους* N. Cum opinaretur librarius N cohaerere *ἀγῶνας τούτους* a se impetrare non potuit, quominus articulum insereret. Effugerat enim eum, verba ita explicanda esse, ut *ἰδίους ἀγῶνας* pro praedicati nomine haberentur. Vulgariorem igitur lectionem inculcavit.

I, 41 *προδότην φίλων καὶ τῆς πόλεως ἀνάξιον* A, *τῶν φίλων* N. Editores amplexi sunt codicis N lectionem, quae significat „amicorum suorum proditorem". At tamen vix dubitare possumus, quin librarius N cum obiter verba inspiciens legisset *προδότην φίλων καὶ τῆς πόλεως* opinans haec inter se nexa esse articulum ex suo aequabilitatis causa immiscuerit. Nam ideo praestat lectio codicis A, quod quo magis in universum hoc loco orator loquitur, eo acerbior evadit oratio.

Plane desperatum est judicare de his duobus locis I, 94 *τῶν ἐν* (*τῷ* N) *οὐρατῷ τιμῶν* et II, 11 *ὑπὸ* (*τοῦ* N) *λιμοῦ*.

Contra facere non possum quin Din. I, 7 patronus existam lectioni codicis N adhuc spretae *ψευδεῖς τὰς ἀποφάσεις πεποίηται* (A om. *τάς*). Quam optime convenire usui Dinarcheo ex his elucet III, 7 *ψευδεῖς πεποίηται τὰς ἀποφάσεις*. I, 45 *τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν . . . πεποιῆσθαι τὰς ἀποφάσεις*.

Denique liceat mihi conjecturam in lucem prodere de Dinarchi loco, in quem falso mihi articulus invasisse videtur. Legimus enim I, 74 *ὅτ' ἐδωροδόκει μὲν . . . Τιμόλαος ὁ τούτου φίλος, ἐπὶ δὲ τοῖς ξένοις . . . Πρόξενος ὁ προδότης ἐγένετο*. Haec nihil aliud significare

nisi hoc *Πρόξενος τοὺς ξένους προὔδωκεν* non opus est monere. Cum autem articulus nomini praedicati alligatus, siquidem nihil aliud oppositum est, nullo modo explicari possit, illud *ὁ* ante *προδότης* sede movendum est.

Non minus largam copiam nobis praebet Antipho locorum, ubi alter codicum nomina appellativa articulo ornat alter privat. Locis autem comparatis nemo non mirabitur, quam saepe librarius N articulum expulerit ita ut ob eam ipsam rem, quod tam sibi constans erat, in suspicionem aut interpolationis aut neglegentiae incidat.

Examinemus autem singula. I hyp. *ἡ στάσις δὲ* A, *στάσις δέ* N. Nemo editorum recessit a lectione codicis A, quae tam firmiter et ipsa ratione et ceterorum summariorum consensu probatur, ut etiam invidiosus vitilitigator cogatur tacere. cf. praef. II, *α ὅθεν στοχασμὸς ἡ στάσις*. III, *β ἔστιν οὖν ἡ στάσις*. Operae pretium autem est adnotare, librarium N ob eam rem articulum suffuratum esse Antiphonti quod offendit in collocatione particulae *δὲ* paulo insolentiore, de qua consulas Strangium (Seebod. ann. phil. vol. suppl. IV pg. 345). Manifesto igitur tenemus interpolatorem istum.

I, 31 *τοῖς θεοῖς τοῖς κάτω* A, *θεοῖς τοῖς κάτω* N. Quid sibi velit *θεοῖς τοῖς κάτω* quo facilius percipiamus, comparemus, quae paulo ante leguntur *ἀναγκαίους τοὺς σφετέρους αὐτῶν καλοῦσι.* Haec enim omnino nullam aliam interpretationem admittunt nisi hanc „morituri hunc vel illum ex familiaribus arcessunt,

qui fiaut caedis ultores“. Sin scripsisset, *τοὺς ἀναγκαίους τοὺς σφετέρους αὐτῶν*, hoc dixisset „arcessunt familiares scil. omnes“. Nam articulus definit infinita etiam ea ratione ut quae multa sunt cuncta in unum colligantur (G. Herm. l. l. pg. XV). Jam apparet, quas ineptias librarius N obtruserit Antiphonti. Nam deorum inferorum, qui omnes sunt caedis ultores, hunc implorare, illius auxilium spernere, quid magis insulsum excogitari potest?

II, *α*, hyp. *στοχασμὸς ἐκ μόνου τοῦ προσώπου συνιστάμενος* A, *ἐκ μόνου προσώπου* N. Haec verba sine dubio Maetznerus (pg. 150) recte expedivit hoc modo „in qua conjectura argumenta a sola inimici persona repetuntur.“ Cum autem falso librarius N accepisset in hanc partem „ex una persona constans“, jam coactus erat articulum surripere. Etiam hoc loco igitur satis suspecta ejus fides est. In eodem autem summario etiam vocabulum *προοιμίοις* articulo spoliavit, quamquam necessario requiritur, cum ipsius orationis praefatio intellegatur.

II, *α*, 1 *ἔμπειροι τῶν πραγμάτων ὄντες* A, *τῶν* om. N. Hoc loco orator non agit de quibusvis negotiis sed de causis apud judices defendendis. Siquidem igitur definit articulus infinita designando certo de multis, haec sententia eo non potest carere. Ob eandem causam etiam in exordio quintae orationis Antipho dixit *τὴν ἐμπειρίαν τῶν πραγμάτων*, quae ipsa similitudine haud leviter lectioni codicis A auxiliantur.

V, 33 *μετὰ χρηστῆς τῆς ἐλπίδος* A, *τῆς* om. N. Omisso articulo impudentissime hoc loco librarius N

exstinxit colorem graeci sermonis proprium. Nam haec locutio ex illis est, quas Graeci articulo ditare solent, nos privare. Cujus dicendi moris haec in promptu sunt Din. I, 67 *τίνας τὰς ἐλπίδας ἕξομεν*; I, 77 *ἐν τούτῳ τὰς ἐλπίδας ἔχειν*. I, 102 *ἐν τοῖς ἔξω τὰς ἐλπίδας ἔχετε*. Eodem spectant similia haec Antiph. V, 34 *θάνατον τὴν δωρεὰν ἀπέδοσαν*. Din. I, 8 *συνεχώρεις θάνατον ἑαυτῷ τὴν ζημίαν*. Nec alienum est *μετὰ τῆς ἀληθείας* Antiph. V, 59. Fallitur igitur Jernstedtius, qui etiam hoc loco egregiam codicis A lectionem respuere non veritus est.

His exemplis accedunt tria, quae tam certa sunt, ut in memoriam ea revocasse satis sit. I, 10 *θύσαντα τὰ ἱερά* A, *τὰ* om. N. VI, 2 *ὁ χρόνος καὶ ἡ ἐμπειρία* A, *ἡ* om. N. IV, *α*, 2 *τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν* A, *καὶ θάλασσαν* N, ubi praegressum *τροφέας* indicat terram et mare hoc loco non quasi in unam notionem comprehendi. Cum igitur videamus quantopere ad articulum ejiciendum pronus fuerit librarius N, mirum est, quod nonnulli Antiph. I, 23 ineptam ejus lectionem *ὑπὲρ πατρός μου* in archetypo fuisse opinabantur, quamquam et nomini *πατρός* et paulo ante *μητρός* articulum furto subduxisse istum admodum verisimile est.

At deliquit etiam in contrariam partem librarius iste articulo falso interjecto. Recessisse enim eum a titulorum more, cum summario orationis II, *δ* praescriberet *ἡ ὑπόθεσις* etc., ubi A recte omittit *ἡ*, hoc nemo non concedit. Sed majoris controversiae est exemplum quod prostat VI, 5 *ὅπέρ ἐστι μέγιστον ἀνθρώποις ἀγαθόν* A, *ὅπερ μέγιστόν ἐστι τοῖς ἀνθρώ-*

ποις ἀγαθόν N. At graeci sermonis consuetudo videtur haec et similia articulo destituisse. Ipse enim Blassius ad Antiph. VI, 4 haec duo exempla commemoravit Antiph. V, 62 ἅπερ μέγιστα καὶ περὶ πλείστου ἐστὶν ἀνθρώποις, VI, 25 τῶν ἐν ἀνθρώποις, cujus generis plura subministrat Maetznerus ad Antiph. VI, 7 pg. 252. Praeterea conferas Antiph. soph. fr. 134 πρῶτον τῶν ἐν ἀνθρώποις ἐστὶ παίδευσις, fr. 135 ἀναρχίας οὐδὲν κάκιον ἀνθρώποις. Antiph. VI, 33 ἀσεβεστάτους ἀνθρώπων. Quae omnia suadent, ut confiteamur, injuste nostro loco librarium N articulum internexuisse.

Denique necessarium est monere etiam in codice A tribus locis haustum esse articulum II, β, 12 τῶν ante προειργασμένων, V, 42 ὁ ante ἐν τῷ αὐτῷ, VI, 27 ἡ ante αἰτία. Quorum mentionem fecisse sufficit.

Ex his quae de articuli apud Dinarchum et Antiphontem usu conscripsi, ut repetam quae ad meam quaestionem inde redundant, cognovimus codicem N sex locis veram lectionem servasse (Din. I, 39. II, 8. I, 7. Ant. II, β, 12. V, 42. VI, 27), codicem A vero duodeviginti locis. Quamquam igitur ne hic quidem omni mendo purus est, tamen longe antecellit fide, ita ut his quoque ejus auctoritas optime muniatur contra ejus contemptores.

Ad finem disputationis meae eas lectiones codicis N examinandas rejeci, quibus satis insignis adulterinae originis nota inusta est. Quamquam enim jam ex illis, quos adhuc perpendimus, locis satis multi erant, ubi dedita opera accepta meliuscula reddere librarium N eniti perspeximus, tamen relictae sunt non paucae lec-

tiones, quae tam aperte isti interpolationis culpam inrogant, ut nemo justus judex eum absolvere possit.

Quarum omnium facile primum locum obtinet ea quam inculcavit Din. I, 7 *οἳ πολλὰ πρότερον τῶν κοινῶν σφαλερῶς προςετάξατε καὶ διὰ τὰς γενομένας ζητήσεις ἀπηλλάξατε*, ubi in A leguntur *οἳ πολλὰ πρότερον τῶν κοινῶν ζητεῖν προςετάξατε καὶ διὰ τάς γενομένας ζητήσεις ἐπῃνέσατε*; In his utriusque libri lectionibus aestimandis nobis illud subvenit, quod totius loci sententia tanta claritate splendet. Neque enim dubium est quin hoc voluerit dicere Dinarchus. „an contra vos senatus Areopagitarum mentitus est? contra vos, qui ipsi senatui commendavistis ut inquireret, eumque laudavistis ob factas inquisitiones?“ Hic sensus adeo luce sua fulget, ut Frankius quoque acerrimus codicis N propugnator (Nov. diurn. litt. Jen. 1842 pg. 1030) concederet, hoc loco ejus lectionem interpolatoris esse, quippe quae plane contraria significaret, quam quae requirerentur. At indagandum est, quibus causis motus sit, ut accepta tentaret. Locus enim ille maxima difficultate laborare videbitur, si singula respexerimus.

Nam cum genetivus *τῶν κοινῶν* non possit suspensus esse a *ζητεῖν*, sed necessario *πολλὰ τῶν κοινῶν* pro objecto verbi *ζητεῖν* habenda sint, nobis proponitur haec sententia vos qui detulistis senatui, ut inquisitionem institueret in magnam partem communis salutis“. At hoc nemo concoquere potest. Nam non in communem salutem institui potuit inquisitio, sed est instituta in homines illos corruptos communis salutis causa.

Praeterea quis unquam dicere potuit „magnam

partem communis salutis"; nam communis salus in singulas partes dividi non potest. Accedit quod Dinarchus verbum ζητεῖν vi inquirendi aut absolute ponit (I, 45, 50, 51, 58. III, 18), aut connectit cum praepositione περί (I, 4, 8. II, 23). Ubi autem accusativus appositus est (I, 59 τὸ ἀληθὲς ζητεῖν alibi), vis subest haec „quaerere quid verum sit". Jam elucet, quam densae tenebrae loco isti obfusae sint. Nec tamen ita difficile est, caliginem disjicere, cum totius loci sententia tam perspicua sit. Scripsit enim haud dubie Dinarchus οἳ πολλὰ πρότερον τῶν κοινῇ συμφερόντων ἕνεκα ἐκείνῃ ζητεῖν προςετάξατέ, „qui maxime antea illi (scil. senatui) commendavistis, ut inquisitionem institueret propter communem reipublicae salutem." cf. I, 99 ὑπὲρ τῶν κοινῇ συμφερόντων. Lacunula autem illa orta esse videtur, quod librarius transsiluit a κοινῇ ad ἐκείνῃ propter similem verborum pronuntiationem. Verbis autem illis semel haustis necesse erat τῶν κοινῇ mutari lectione τῶν κοινῶν. Jam deteximus quam gravibus causis adductus sit librarius N, ut conjecturam Dinarcho inferret. Sagaciter enim difficultatem, quae adhuc latuit persensit. Fuit igitur doctus et „emunctis naribus".

Non minus aperte fraus istius librarii etiam aliis Dinarchi locis convinci potest.

I, 4 ψήφισμά τι A, in N est Thurlando teste ψήφισμά omisso τι. Hoc pronomen, quid sibi velit, me judice expediri non potest, cum significet orator illud plebiscitum, quo senatui inquisitio delata est. Quod

cum suboleret librario N, omisit, oblitus accentum delere proditorem fallaciae.

II, 16 *καθ' ἑκάστην και* (vel *την*) *δημοσίᾳ . . . ἀρὰς ποιούμενοι* A, *καθ' ἑκάστην δημ.* N. Nemo unquam dubitavit, quin genuinum sit *καθ' ἑκάστην ἐκκλησίαν.* Deperditi igitur vocabuli fragmentum servavit A, cum depingeret fideliter litteras sensu neglecto. At librarius N delevit, quae intellegere non potuit.

I, 8 *ἐν τῷ δήμῳ* A, *ἐν τῷ τότε* N. Significat Dinarchus contionem, in qua Demosthenes detecta fraude Harpalica plebi suasit, ut senatui Areopagitarum haec causa perquirenda mandaretur. cf. I, 86 *ἐπέτρεψεν αὐτὸς οὗτος ἐν τῷ δήμῳ τῷ συνεδρίῳ κρῖναι περί αὐτοῦ.* cf. etiam I, 89. Quare nemini unquam de hujus lectionis genuinitate dubitationes motae sunt. Illud autem, quod animadvertatur, dignum esse videtur, librarium N ob eam rem infregisse tradita, quod paulo post legisset *ἢ ποῖ νῦν*, ut *νῦν* et *τότε* sibi opponerentur. At partes sententiae sibi non ita oppositas esse, ut priores spectent ad tempus praeteritum, posterior ad praesens, satis dilucidum est. Quare interpolator iste jam non habet, quo refugiat.

I, 111 *προςελήλυθεν εἰς τὸ πολιτεύεσθαι* A, *πρὸς* N. Non solum librario N, sed etiam nostris criticis illud *εἰς* ita a communi loquendi more abhorrere videbatur, ut abjicerent. Jam Bekkerus codice N nondum in lucem protracto maluit *πρός* revocare. At tamen sola lectio codicis A, quae approbetur, digna esse videbitur isti, qui comparaverit, quae de hoc usu praepositionis *εἰς* docte scripsit Frankius (act. soc. graec. II,

pg. 28). Quem illustrat his Aeschinis exemplis, III, 139 *προτρέψασθαι εἰς τὴν φιλίαν.* I, 135 *εἰς γέλωτα προτρεπόμενος.* I, 171 *εἰς τὴν φιλανθρωπίαν προςκαλεσάμενος.* Possumus autem conferre etiam haec *εἰςελθεῖν εἰς ὑμᾶς* posita de litigantibus, qui in judicium veniunt. Haec mihi codicis A scripturae tam firmiter patrocinari videntur, ut dubitatio exclusa sit. Quare tantum abest, ut codex N hoc loco verum proponat, ut offensus lectione reconditiore, quae nostros quoque viros doctos male habuit, vulgariorem supposuerit.

II, 20 *κατέγνωκεν-κατέγνωκεν-παρέδωκεν-εἴληπται* A, *παραδέδωκεν* N. Negari non potest, facillime cui aoristum illum ansam dare potuisse corrigendi, quam medium inter tempora perfecta ferri non posse putaret. At haec opinio vanissima est. Sufficit autem provocare ad Strangium (l. l. pg. 366), qui permultos locos prompsit, ubi aoristus et perfectum varie miscentur. Dinarchea vero haec exempla habeo, quae proferam I, 67 *πεποιηκότες-καταστήσαντες.* I, 96 *εἰσὶ κατεσκευασμέναι-γεγόνασι-ἐπηνώρθωσε-κατεσκεύασε-ἀνήνεκται-κατεσκεύακεν.* III, 4 *ἐξηπατηκὼς καὶ προδούς.* Minime igitur ineptus est aoristus ille inter perfecta. Atque etiam ostendi potest, quo consilio tempora ita variaverit Dinarchus. Nam verbi *καταγιγνώσκειν* perfectum ob eam rem posuit, ut indicaret, condemnationem non jam incertam esse sed plane perfectam. Non illud quaeri, utrum Aristogito liberandus esset, an condemnandus. Jam esse condemnatum eum, nec quaeri nisi qua poena afficiendus esset. Etiam *εἴληπται* maluit

dicere Dinarchus, quo magis certitudo rei compareret. Cum vero similis causa vim verbi προδιδόναι exaggerandi nulla esset, simpliciter narrans aoristum praetulit. Unde apparet fucatam aequabilitatem illatam esse a librario isto in Dinarchum.

III, 19 ἀνελεῖν ἐκ τῆς πολιτείας τὰ τοιαῦτα θηρία A, ἐκ τῆς πόλεως N. Si haec legeremus in antiquiore quodam oratorum sine dubio revocanda esset lectio codicis N. Sed Dinarchi aetate operibus philosophorum factum erat, ut πολιτεία fere eodem sensu poneretur quam πόλις. Din. I, 3 τοὺς κατὰ τῆς πολιτείας δῶρα λαμβάνοντας. I, 112 κακόνους ἐστὶ τῇ πολιτείᾳ. Hyper. Eux. XXXVIII, 27 ἰσχυρότατος ἐν τῇ πολιτεία. Aeschin. III, 209 περιγράψατέ με ἐκ τῆς πολιτείας, quod exemplum ipsa similitudine optime nobis obsecundat. Quod dicendi genus cum ignoraret librarius N, facili negotio substituit lectionem vulgarem.

I, 101 γέγραψαι ψήφισμα, Δημόσθενες, πολλῶν ὄντων καὶ δεινῶν παρανόμων, ὧν Δημάδης γέγραφε; A, δεινῶν καὶ παρανόμων N. Nihil certius est, quam παρανόμων cohaerere cum γέγραψαι, ut Aeshin. III, 62 legimus τοῦτο τὸ ψήφισμα ἐγράφη παρανόμων. Quin etiam requirit inexorabili necessitate hunc nexum aequabilitas orationis. Nam ut εἰςήγγελκας respicit ad οὐκ εἰςαγγέλειν, ita chiastico ordine γέγραψαι παρανόμων respicit ad οὐ γράφεσθαι παρανόμων. Ac ne cui collocatio verborum injiciat scrupulum, hoc promo I, 23 διὰ πολλῷ τῶν ὑπὸ τούτου πεπραγμένων ἐλάττω. I, 25 ἐάν τις ὅπλα διὰ τῆς χώρας Ἀθηναίων ἔχων πορεύηται. Hic ipse autem verborum singularis ordo et

nostris viris doctis et librario N fucum fecit, ut qua erat interpolandi libidine, suam fallacem extruderet mercem.

Antiph. I, 3 *μὴ ἅπαξ ἀλλὰ καὶ πολλάκις* A, *καὶ* om. N. Siquis hunc locum cursim et properanter inspexerit, cui non suadebit animus, ut illud *καί* ejiciat, quoniam non antecedit *μὴ μόνον* sed nudum *μή*. Quid enim aliud fuit, quod movit Reiskium, ut Aeschin. III, 69 ex his verbis *οὐκ ἐπιλελησμένοι (τὸ τῆς συμμαχίας ὄνομα), ἀλλὰ καὶ τὴν εἰρήνην ἀναγκαιοτέραν .. ὑπολαμβάνοντες εἶναι* censeret expellendum esse *καί*, quam hoc? At rectissime Bremius (ad ipsum locum pg. 59) Reiskium refutavit. Nam ut *οὐ μόνον-ἀλλά* minime legibus sermonis Attici adversabatur, (cf. Bremi excurs. IX ad Isocrat. pg. 212), ita ne has quidem particulas *οὐκ ἀλλὰ καί* inter se opponere fugiebant. Hujus dicendi generis exemplum plane nostro gemellum jam Maetznerus (pg. 129) ex Diodori excerptis lib. 37 (apud Photium Bekk. pg. 392, 5) attulit *οὐχ ἅπαξ ἀλλὰ καὶ πολλάκις*. Ex Antiphonte vero haec similia promi possunt, III, *γ*, 7 *οὐδὲ ἀφανὴς ἀλλὰ καὶ λίαν φανερός*. V, 77 *οὐκ ἔστιν, ὅτι .. ἥμαρται, ἀλλὰ καὶ χορηγίας χορηγεῖ*. Nec multum abludunt V, 23 *ἐζητεῖτο οὐδέν τι μᾶλλον ὑπὸ τῶν ἄλλων ἢ καὶ ὑπ' ἐμοῦ*. Videmus igitur cum Reiskium in Aeschine infeliciter conjecisse, tum librarium N Antiphontem sine ullo pudore interpolavisse.

I, 12 *εἰ γὰρ τούτων ἐθελόντων διδόναι εἰς βάσανον ἐγὼ δὲ μὴ ἐδεξάμην* A, *δέ* om. N. Non meum videtur esse exponere particulam *δέ* apud omnium temporum

graecos scriptores nonnunquam initio apodosis insertam reperiri. Postquam enim Buttmannas (excurs. XII ad Dem. Mid. pg. 153) de hoc more doctissime egit, multi eum secuti sunt in campum semel patefactum incurrentes (cf. Hartung. Part. I pg. 183 et quos laudat). Non minus saepe autem *δέ* alteri parti sententiae hypotheticae praeponi et post structuras participiales inseri, idem Hartungius (l. l. pg. 186) monuit, hoc ipsum praecipue Atticorum consuetudinis esse affirmans. Haec duo tantum ex ejus exemplis apponam Xen. Mem. III, 7, 8 *θαυμάζω σου, εἰ ἐκείνους ῥᾳδίως χειρούμενος τούτοις δὲ μηδένα τρόπον οἴει δυνήσεσθαι προςενεχθῆναι.* Herod. V, 50 *χρεὼν γάρ μιν μὴ λέγειν τὸ ἐὸν . . . λέγει δέ* etc. Ipsa igitur res in dubitationem vocari nullo modo potest. Non minus certum autem est, praecipue ibi hac dicendi forma usos esse scriptores, ubicunque inter apodosin et protasin participiive notionem ejus modi per sensum oppositio intercedebat, quae magna vi exornanda esse videretur (Buttmann. l. l. pg. 154). Quid multa? Nonne etiam nostro loco magna gravitate suam ipsius justitiam opponit reus accusatorum confidentiae, ita ut *τούτων* et *ἐγώ* magno pondere pronuntianda sint? Quare si aliquo loco illud *δέ* sequens structuram participialem bene se habet, nostro sine jure ereptum est.

Quae sententia eo altius nobis se insinuabit in animum reputantibus librarium N eadem causa motum, cum accepisset II, *β*, 4 *εἰ γὰρ τούτων ἀναιτίων ὄντων ἐν ἐμοὶ τἀδίκημα φανεῖται, τούτων ὑπόπτων ὄντων ἐγὼ δ' εἰκότως καθαρὸς δοκοίην εἶναι*, reposuisse *δι-*

καίως. Quid? Haec raciocinatio subtilissima „si his insontibus ad me omnis culpa revolvitur, his suspectis equidem sceleris integer sum“, haec inquam raciocinatio fundatur in justitia? Immo haec in verisimilitudine posita sunt, a justitia vero toto coelo segregata sunt. Accedit quod paulo post § 10 similiter de eadem re Antipho dixit *οὐ γὰρ ἂν εἰκότως ἐδόκουν ἀποκτεῖναι αὐτὸν*. Quamvis igitur libenter concedam, illud δ' ferri non posse sed fortasse legendum esse *ἔγωγ' εἰκότως ἄν*, tamen hoc satis luculenter apparet, ex suo librarium N inepte accepta perpurgasse.

Denique necessarium videtur esse mentionem facere hujus loci II, β, 6 *ἀκουσίου δέ τοῦ φόνου . . . ὁμολογουμένου γενέσθαι . . ., ὁποτέρου αὐτῶν ἐστιν, ἔτι δὲ σαφέστερον ὁ φονεὺς ἐλεγχθείη*. Ubi quamquam codices in particula *δέ* consentiunt, tamen ferri non posse cuivis manifestum est, quippe quae non initio apodosis occurrat. At ne ejecta quidem particula locus ob omnibus naevis purus videtur esse. Quis enim ita loqui potest *ὁ φονεὺς ἐλέγχεται, ὁποτέρου* (scil. *παιδὸς ἢ μειρακίου*) *ἐστίν* (scil. *ὁ φόνος*). Immo reponendum est *ὁποτέρου αὐτῶν ἐστιν, ἔτι σαφέστερον ἂν ὁ φόνος ἐλεγχθείη*. Ac ne quis in iterato verbo *φόνος* haesitet, hortor ut conferat V, 85 *κατὰ γὰρ τοὺς νόμους ὠμόσατε δικάσειν . ἐγὼ δὲ καθ' οὓς* (scil. *νόμους*) *ἀπήχθην, οὐκ ἔνοχός**) *εἰμι τοῖς νόμοις*. V, 68

*) Quod verbum me impellit, ut adnotem Antiphontem *ἔνοχος* aut absolute ponere (IV, α, 1. V, 87. VI, 17.) aut cum dativo connectere (*τῷ φόνῳ* I, 11. V, 68. *τοῖς ἐπιτιμίοις* IV, α, 4 et 6. β, 3. *τῷ ἔργῳ* V, 87. VI, 4 et 5. *τῷ νόμῳ* V, 9. *πᾶσιν* IV, β, 7. *οὐδενί* IV, δ, 9). Quare nulla mora interposita reponamus VI, 46 *οὐδ' ἔνοχον εἶναι τῷ φόνῳ* pro *τοῦ φόνου*.

εἰ οὖν τις ἠξίου τοὺς συνόντας ἐκείνῳ εἰκάζειν . . ., οὐκ ἂν καλῶς εἶχε τοῖς συνοῦσι. V, 3 πιστοὶ γενόμενοι τῷ ψεύδεσθαι, τούτῳ ἐσώθησαν, διότι ἐψεύσαντο, quod sine jure attigerunt. Din. I, 31 πλείστοις καιροῖς χρώμενος ἅπαντας ἀφῆκε τοὺς καιρούς. Praeterea conferas Din. I, 5 ἡ βουλή repetitum, Din. I, 60 τίμημα τῶν δώρων post τῶν δωροδοκούντων, Din. II, 6 ἡ κατ' Ἀριστογείτονος ἀπόφασις post ἡ τῆς βουλῆς ἀπόφασις, quae quamquam, ut clarior oratio fieret, a Dinarcho adjecta sunt, tamen nonnulli uncinis circumscripsere. In his exemplis similibusque qui consideraverit, quam saepe nostri viri docti haeserint, haud dubie mecum existimabit, etiam nostro loco ipsam repetitionem verborum cuidam ansam dedisse φόνος commutandi lectione φονεύς. Quo facto particulam δέ addi necessarium erat.

IV, γ, hyp. ἐν τούτῳ φησὶ θαυμάζω ὅτι οὐκ εἰκός etc. A. ἐκ τούτων N. Lectionem codicis A plane absurdam esse, cum accusator id mirari dicatur, quod in oratione verissimum esse praedicat, hoc nemo negavit, postquam Sauppius perspexit, θαυμάζω eodem modo natum esse quam quae initio summarii II, δ leguntur. Librarius N vero, cum ipse quoque locum morbo infectum esse odoraretur, correxit ἐκ τούτων, ut haec sententia prodiret „Miror (scil. rationem defensoris)“ inquit „inde quod non verisimile est etc.“ Quae sententia quamquam aliquo modo stare potest, tamen ita contorta et implicata est, ut nimis manifesto eluceat, cujus originis sit. Quam veniam vero Blassius codici suo comparare studet contendens ἐκ τούτων etiam ma-

nifestius indicare principium orationis hic temere admixtum esse, eam a nemine impetraturum esse eum arbitror. Nam haec *ἐκ τούτων φησὶ θαυμάζω* et *τοῦτόν τε οὐ θαυμάζω* toto coelo distant.

V, 11 *δέον σε διομόσασθαι ὅρκον . . . ἐξώλειαν αὐτῷ καὶ γένει* A, *σαυτῷ* N. Paene incredibile est, a nostris editoribus etiam hoc loco casses non visos esse, quos astutus iste librarius nobis tendit, quamquam constat consuetudinem pronominis reflexivi personae tertiae referendi ad primam vel alteram personam apud omnes atticos scriptores viguisse. Ex ipso vero Antiphonte quae hujus dicendi moris exempla suppetunt contulit Maetznerus ad III, *δ*, 1 (pg. 181). Hoc unum illi elapsum est V, 21 *πείσας τὸν ἄνδρα οὐδαμοῦ ἀπελέγχομαι . ., ἀλλ' αὐτὸς καθ' αὑτὸν τὸν πλοῦν πεποιημένος.* Praeterea conferas Din. I, 8 *συνεχώρεις θάνατον ἑαυτῷ τὴν ζημίαν.* I, 70 *ἀλλὰ διεσκευάσθαι* (scil. *σε*) *πρὸς τὸν δῆμον ὡς οὐ πιστεύοντα τοῖς ἑαυτῷ πεπολιτευμένοις.* Lycurg. 94 *παρ' ὧν πλεῖστα ἀγαθὰ . . . πεπόνθαμεν, εἰς τούτους . . μὴ . . τὸν αὑτῶν βίον καταναλῶσαι.* Certissimum igitur est, Maetznerum Procridis jaculum conjecisse, cum proponeret *αὐτῷ*, librarium N vero audacissime hanc graeci sermonis propriam consuetudinem, quam ignoraret, obbitterasse.

V, 85 *οἶμαι δὲ καὶ ὑμῶν ἀποψηφίσασθαι* A, *καὶ* om. N. Quamvis truncatus hic locus sit, tamen conjunctionem *καί*, quippe quae ipsius mendi nobis quasi delatrix sit, verissimam esse, hoc pro explorato et firmo habendum est. Nam etiam in sequentibus reus se ipsum opponit judicibus, cum dicit *ταῦτα γὰρ* (scil. *τὸ*

ἀποψηφίσασθαι) ἐμέ τε σώζει καὶ ὑμῖν νόμιμα . . γίγνεται. Cum igitur librarius N illud *καί* interlineret, eadem libidine grassatus est in Antiphontem, quam qua supra eum Dinarcho (I, 4 et II, 16) manum intulisse vidimus.

VI, 23 *εἰ δὲ μή, ἕτοιμοι εἶεν διδόναι* A, *εἰμί* N. Satis notum est saepe apud oratores atticos infinitivum orationis obliquae continuari optativo. Qua liberiore structura ipse Antipho usus dixit V, 22 *εἶεν γὰρ οἱ συνειδότες*, ubi consulas Maetznerum (pg. 202) et quos laudat. Quid igitur aliud potest latere sub scriptura codicis A quam hoc *ἕτοιμος εἴην*? At librarius N cum satis compertum haberet *ἕτοιμος εἶεν* vel rationi grammaticae adversari, ignarus liberioris istius structurae correxit *ἕτοιμός εἰμι*, quod ineptum est. Blassius autem et Jernstedtius, qui praetulerunt *ἕτοιμος ἦ* moti haud dubie sequente *ὡμολόγουν*, laterem lavare videntur. Quamquam enim illud *ἦ* per se bene se habet, tamen minime requiritur, quoniam verbum dicendi *ὡμολόγουν* hoc loco omnino non potuit alio tempore inferri. Sed sive *ἦ* sive *εἴην* praeoptatur, hoc certum est in archetypo fuisse *εἶεν*, librarium autem N more suo adulterinos nummos emisisse.

VI, 30 *ὅπου μὲν γὰρ λόγῳ τις διδάσκοι, μάρτυρας δὲ μὴ παρέχοιτο, μαρτύρων ἄν τις τοὺς λόγους τούτους ἐνδεεῖς φαίη εἶναι . ὅπου δὲ μάρτυρας μὲν παρέχοιντο, τεκμήρια δὲ μή ἀποφαίνοιντο* etc. A, *παρέχοιτο* correctum ex *παρέχοιντο* et *ἀποφαίνοιτο* N. Lectionis, quam A proponit, hoc videmus proprium esse, quod postquam pronomini *τις* numerus singularis subjunctus

est, transitur ad pluralem. Minime autem fugisse Graecos pronomini τις, ubi collectiva vi ponitur, pluralem subnectere, et per se consentaneum est et multis exemplis constat (cf. Mathiae gr. graec. pg. 978 et 1079). Quare ut illud in controversiam adduci non potest, ita ne ipsa quidem transitio tantum miri habere videbitur. Quin evanescent omnes dubitationes reputauti, quod Voemelius ad Dem. Phil. III, 61 (pg. 659) exposuit, ubi in optimis libris ΣF haec exhibentur τῶν δὲ πολλῶν εἴ τις αἴσθοιτο, ἐσίγα καὶ κατεπέπληκτο, τὸν Εὐφραῖον οἷα ἔπαθε μεμνημένοι, quae lectio jam Schaefero (app. crit. I pg. 595) satis arridebat. Huic exemplo dubitanter adjicio hoc Antiph. II, δ, 4 φασὶ δὲ οὐδένα ὅντινα οὐκ εἰκότερον σαφῶς πυθόμενον τοὺς διαφθείραντας αὐτοὺς εἰς οἶκον ἀγγεῖλαι, ἢ ἀπολιπόντας οἴχεσθαι. Nam οὐδένα ὅντινα οὐκ notione exaequant verbum πάντας, ut illud ἀπολιπόντας, quamquam antecedit πυθόμενον, non plane absurdum videri possit. Eo firmius audeo contendere, sine jure ab editoribus ereptam esse Dinarcho numerorum variationem I, 107 ubi leguntur ἡ ὑμετέρα ψῆφος πολλὴν ἀσφάλειαν τῇ πόλει καταστήσει τὰ δίκαια ὑμῶν ἐθελόντων κρῖναι, ἢ μοχθηρὰς ἐλπίδας ποιήσετε πάντας ἔχειν etc. Postquam enim prius verbum καταστήσει adaptavit orator subjecto ἡ ψῆφος, alterius ποιήσετε pluralem praeoptavit reversus ad numerum, quo paulo ante dixerat ἐν ταῖς χερσὶν ἔχετε. His illud assecuti sumus ut pateat, lectionem codicis A nostro Antiphontis loco minime adeo deflexisse a communi Atticorum sermone, ut ferri non possit. At sit cum maxime falsa, tamen librarius N,

se archetypi lectionem infregisse ipse aperte prodidit. Postquam enim παρέχοιντο ad archetypum exaravit, recordatus antecessisse τις correxit statim παρέχοιτο non veritus etiam ἀποφαίνοιτο rescribere. Felici igitur casu factum est, ut dolosi istius librarii artificia tam aperte detegi possent, ut nulla venia relinquatur.

His fere locis mihi is qui scripsit codicem N interpolatoris vice functus esse videbatur. Quos universos si quasi uno conspectu contuemur, apparet, quamquam plerumque iste leviore manu accepta tetigit, tamen non deesse locos praecipue in Dinarcho, ubi satis vehementi medicamine usus sit. At in hac quaestione dijudicanda omnino nullius momenti illud est, qua quis ratione immutavit, quae in archetypo repperit. Ut enim in causa capitali accusationis vis et gravitas minime imminuitur ob eam rem, quod reo nondum caedem perpetrare contigit, si quidem in ipsa re deprensus est, ita librarius N, cum quem ad finem lectiones infregerit nimis eluceat, e sordibus et infamia damnationis nullo modo eripi potest.

Postquam ipsis lectionibus vafrum istum librarium fraudis convicimus, non a re viditur esse, paucis attingere adnotationes, quas in margine adscripit, quibus eum fuisse, qualem cognovimus, firmatur. Ut enim universam rem quasi uno flatu vocis promam: adnotationes illae ejus sunt, qui auxilio summariorum unde hausit, quam maxime in eo elaboravit, ut perspiceret, in quas partes orationes dispositae essent. Sunt autem hae adnotationes. II, α, 4 ἀναίρεσις αἰτιῶν cf. hyp. Jernst. pg. I2, 9 ἐχρήσατο ἀναιρέσει αἰτιῶν. — § 5

βούλησις cf. hyp. (pg. 12, 11) καὶ τὸ λοιπὸν ἐμβάλλει εἰς τὴν βούλησιν. — § 9 ad μάρτυρες: λύσις τῆς τῶν ἐλέγχων ἀπαιτήσεως cf. hyp. (pg. 12, 12) τὴν δὲ τῶν ἐλέγχων ἀπαίτησιν λύει. § 9 ad ἐλεγχόμενος: ἡ παρέκβασις οἶμαι ἀπὸ τοῦ μέλλοντος cf. hyp. (pg. 12, 12) εἶτα παρέκβασις καὶ ἐπίλογος. — II, β, 7 διαβολὴ τῆς οἰκέτου μαρτυρίας cf. hyp. (pg. 15, 2) διαβάλλει δὲ καὶ τὴν μαρτυρίαν τοῦ οἰκέτου. — IV. γ, 3 ad εἰ δὲ ταῖς χερσίν: Χρ i. e. χεῖρες cf. hyp. (pg. 39, 18) ἄρξαι χειρῶν ἀδίκων. — V, 9 τὸ παραγραφικόν cf. hyp. (pg. 45, 10) ὁ δὲ τὸ μὲν τῆς κακουργίας ἔγκλημα ἀπολύεται παραγραφικῶς. Docte igitur perspexit librarius N hanc orationis partem § 8—18 continere παραγραφήν quae vocatur. — Denique loco plane desperato VI, 21 adscripsit σφάλμα cf. Lycurg. 145 (Thalheim. praef. pg. IX. Rosenberg. Jahn. ann. 1877 (115) pg. 684).

Cum igitur videamus eum, qui codicem N scripsit, animum attendisse et ad totarum orationum dispositiones et ad singulorum verborum sententiam, si forte contagione infecta essent, constat fuisse eum grammaticum fuisse hominem doctum. „Quasi vero omnes docti perfidi essent“. Sane, nemo nisi insanus hoc contenderet. At non minus errat in contrarium partem Blassius, cum (pg. XXII) praedicat „Eodem modo omnes semper librarii, quo hebetiores fuerunt, eo magis libros suos corruperunt, vel si hoc dicere mavis interpolaverunt.“ Immo si quis tanta sagacitate et acumine viget, ut facile omnia vitia odoretur, si tanta ingenii ubertate pollet, ut felicissimis conjecturis quasi perfluat, eum

non hominem puto nisi nonnunquam, quae vera esse opinatur, anteferret archetypi auctoritati. Quare si quis homo doctus sinceritate animi et fide caret multo magis ab hoc cavenduum est quam ab hebetiore librario. Nostrum autem grammaticum minime tanta fide fuisse ut a conjectando abstineret hoc non paucis locis nobis demonstrasse videmur.

Jam adeo maturuit quaestio nostra, ut necessarium videatur esse, quae assecuti sumus universa complecti, quo facilius et firmius omnibus quasi uni conspectui subjectis concludi possit, qua ratione codicibus Crippsiano et Oxoniensi in edendis Antiphonte, Dinarcho Lycurgoque utendum sit. Via praemunita primum demonstravimus, maxime momenti ad nostram quaestionem disceptandam illud esse, quod codex A labore describendi finito iterum ad archetypum collatus et accuratissime ab eadem manu correctus est, quali praestantia codex N prorsus destitutus est. Cum autem, qui scripsit codicem A, postea vel levissimos errores calamique lapus ad archetypum sustulisset, cum etiam falsa et inepta, quamquam antea casu vera dederat, conspirante codice N correctura restituisset, apparuit eum deligentissimum fuisse. Quam sententiam tam multis gravibusque exemplis stabilitam esse videbamus, ut nullo modo everti posset tribus quattuorve locis, ubi quaedam contra archetypum nonnullis mutata esse viderentur.

Perlustratis deinde illis locis, ubi alter codex altero plenior est, cognovimus, codicem A et multo saepius, quibus salva sententia carere non potest, solum ser-

vasse, nec usquam fere, quae superflua sunt, proponere, quo vitio non semel codex N laborat, ita ut verisimilitudine cogeremur, majorem in his fidem codici A addicere.

Multo vero gravioribus argumentis usi paene ruinam auctoritati codicis N paravimus tractatis verborum ordinibus. Aperiumus enim eum verbis consulto transpositis tanta libidine tam saepe saeviisse, ut si hic non interpolationis damnandus esset, jam nemo hujus sceleris insimulari posset.

Quare jam nemini potuit mirum videri, quod ex illis quoque quae de formis verborum recte scribendis exposuimus, sequebatur, multo praestantiorem esse codicem A. Nam quamquam ne hic quidem omni errore vacuus erat, tamen multo neglegentiorem in his fuisse librarium N palam factum est. Nec aliter ex illis quae paulo post de articuli usu conscripsimus, efficiebatur, si non principatum at majores honores Crippsiano deferendos esse.

Transgressi autem ad singulas lectiones perpendendas etiam in his Oxoniensem autoritate longe cedere Crippsiano probavimus. Quarum inprimis illae, quas falso pleniores emisisse videbatur librarius N, ut illi diffideremus suaserunt, sive particulas internexuit, sive compositum verbum substituit in locum simplicis, sive depeculatus est Antiphonti antiquum colorem.

Denique non paucis locis, ubi sciens deditaque opera librarius N suo arbitrio conformavit accepta, fallaces artes ad veritatis lucem protraximus, et ut ipse quasi naenia soricina se proderet fecimus, praesertim

cum grammaticum hominemque doctum, qui eo magis veritatis propagator deberet esse, e marginalibus nonnullis adnotationibus fuisse eum eluceret.

Postquam hoc modo omnia argumenta, quae protulimus, rursus apud animum nobis repraesentavimus, facile quae totius disputationis summa est, strictim promi potest: Cum codices nostri quasi ejusdem arboris duae stirpes sint ex eadem radice ortae, utriusque testimonia ubi dissident quam accuratissime perpendenda sunt, ut indagetur, quid in archetypo fuerit. Quae quaestio ubi certa ratione discerni non potest, codex A sequendus est. Maxime vero illud cavendum est, ne plagis circumveniamur, quae fortasse latent sub lectionibus codicis Oxoniensis. Quare pro fundamento totius recensionis codex Crippsianus habendus est.

Vita.

Paulus Leonhardus Guilelmus Graffunder Pomeranus natus sum Pielburgii a. d. VI Kal. Oct. a. h. s. LVII patre Henrico matre Augustina, quos adhuc superstites esse gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum primis elementis et ipsius vici schola et a patre instructus, Berolinum profectus gymnasium Guilelmianum, quod Küblero rectore floret, per octo annos frequentavi. Vere autem a. h. s. LXXVII adii gymnasium Sedinense municipale, quod tum auspiciis F. Kernii fruebatur. Anno post maturitatis testimonium adeptus civibus universitatis Carolo — Eberhardinae Tubingensis adscriptus per sex menses scholis interfui Schwabii Kelleri Herzogii Kugleri Flachii. Unde Berolinum, cum me contulissem, ut me dederem optimis litteris artibusque, per septies sex menses audivi Curtium Lepsium, Robertum Foersterum, Henningium, Schererum, Harmsium, Lotzium, Paulsenum Zellerum, Huebnerum, Kirchhoffium Vahlenum. Denique seminarii philologici regii per annum fui sodalis ordinarius. Omnibus autem illis viris doctis, quorum benignitate studia mea adjuta sunt, gratiam ut referre possim opto maxime Kirchhoffio et Vahleno seminarii gubernatoribus.

Sententiae controversae.

1. Soph. El. 1284 legas κλάουσα pro κλύουσα. ibid. Antig. 556 legas ἀῤῥήκτοις pro ἀῤῥήτοις.
2. Antiph. II, δ, 2 pro his ὑπεραπολογούμενοι τῆς ὑποψίας πάσης τῆς ἀληθοῦς (A) fortasse legendum est ὑ. τὴν ὑποψίαν πάσης τῆς ἀληθείας. „Suspicionem magis defendentes quam totam veritatem."
3. Antiph. IV, δ, 3 post ἰατρῷ interciderunt εἴτε διὰ τὴν μοχθηρίαν αὐτὸς ὁ ἰατρὸς. cf. β, 4 et γ, 5.
4. Antiph. V, 72 pro his μέγα τοι (τι A) ἡμέρα παρ' ἡμέραν γιγνομένη γνώμην . . . μεταστήσειν καὶ τὴν ἀλήθειαν εὑρεῖν reponas μέλλει τοι - μεταστήσειν - εὑρήσειν.
5. Lycurg. 20 legendum est ἀλλὰ λαβόντας pro ἢ λαβόντας. ibid. 67 pro his ἀλλ' εἰς τὸ πρᾶγμα. ἐγὼ μὲν revoces ἀλλ' εἰ τὸ πρᾶγμα ἐγένετο. ἐγὼ μὲν etc. ibid. 116 legas (οὔτε γὰρ νῦν σύμφορον) ὑμῖν οὔτε πάτριον-ψηφίξεσθαι. Quae uncinis notavi inserenda videntur esse.
6. Aeschin. Aes. 197 legas ἀπολέλειπται pro ἀποδέδεικται.
7. Terent. Heaut. prol. 3—10 tam bene cohaerent, ut

divelli non possint; universi autem grammatici additamentum videntur esse.

8. Quae sunt Porphyrionis in Commentatore Cruquiano, adeo consentiunt vitiis Fabricianae editionis (1555), ut ex hac hausta esse suspicio suboriatur. Contra Acro Commentatoris Veteris maximae auctoritatis est.
9. Cic. ep. ad Att. I, 13, 3 fortasse in „verum" (M) latet „cum videret", ut evadant haec: „intellexi hominem moveri, cum videret Crassum inire eam gratiam, quam ipse praetermisesset. An esse tantas res nostras etc.?" Hoc certum est „utrum-an" nexum sententiarum corrumpere.
10. Catull. 64, 287 legas: „Musarum linquens claris celebranda choreis" pro „minosim l. doris c. c." Nam Pieria ad Olympum sita est.
11. Sub Cerintho (Tibull. IV) non latet Cornutus, cum corrupta lectio (II, 2, 9 et 3, 1) conclusionis fundamentum non possit esse. Nec omnino videtur fictum nomen esse, si quidem Sulpicia (IV, 2, 1 et alibi) vero nomine nuncupata est. cf. Bentl. ad Hor. Sat. I, 2, 81.

14

QUAESTIONES
DE
LYSIAE ORATIONE IN NICOMACHUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS PROPOSITIS
DIE XIII. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXXII
HORA XI
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

OTTO GÜLDE
MARCHICUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
HUGO LANDWEHR, CAND. PHIL.
EDUARD MEYERSTEIN, CAND. PHIL.
ALFRED MECHEL, STUD. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE (OTTO FRANCKE).
Linienstr. 158.